FRANCISCUS BORIERO

PROCESSUS DISCIPLINARIS

THEORICO-PRACTICUS

PRO

AMOTIONE ADMINISTRATIVA

PAROCHORUM

PATAVII

TYPIS SEMINARII EPISC.

1910

FRANCISCUS BORIERO

PROCESSUS DISCIPLINARIS

THEORICO - PRACTICUS

PRO

AMOTIONE ADMINISTRATIVA

IUXTA DECRETUM *"MAXIMA CURA"*

AD USUM ORDINARIORUM SIMULQUE PAROCHORUM

PATAVII

TYPIS SEMINARII EPISC.

1910

DIVO

ANTONIO PATAVINO

CONFESSORI

DICATUM

COMMENTARIUM

THEORICO - PRACTICUM

PRO INSTRUENDO PROCESSU ADMINISTRATIVO

IN DECRETUM

MAXIMA CURA S. CONGREGATIONIS CONSISTORIALIS

die 20 Augusti 1910 editum

NOTA-BENE

Complementum integrale, et quidem essentiale, huius libelli est meum Opus, cui titulus: *Manuale teorico-pratico per Processo Canonico Criminale e Disciplinare* [1]. Ad hoc saepe provoco, fere in omnibus paginis sequentibus. Quoties autem occurrant citationes ex praefato Opere, utor *semper et exclusive* hoc verbo: *Recole* pag. . . . .

[1] Prostat apud cath. bibliopolas, vel apud me, *alla Curia Vescovile di Padova.*

DE AMOTIONE ADMINISTRATIVA AB OFFICIO ET BENEFICIO CURATO

DECRETUM

Maxima cura semper Ecclesiae fuit, ut christiano populo praeessent et animarum saluti prospicerent selecti e sacerdotum numero viri, qui vitae integritate niterent et cum fructn suis muniis fungerentur.

Quamvis autem, ut hi rectores quae paroeciae utilia aut necessaria esse iudicarent, alacriore possent animo suscipere soluti metu, ne ab Ordinario amoverentur pro lubitu, praescriptum generatim fuerit, ut stabiles in suo officio permanerent; nihilominus, quia stabilitas haec in salutem est inducta fidelium, idcirco sapienti consilio cautum est, ut eadem non sic urgeatur, ut in perniciem potius ipsorum cedat.

Quapropter, si quis scelestus creditum sibi gregem destruat magis quam aedificet, is debet, iuxta antiquissimum et constantem Ecclesiae morem, quantum fas est, instituto iudicio de crimine, beneficio privari, hoc est a parochiali munere abduci. Quod si, vi canonici iuris, criminali iudicio ac poenali destitutioni non sit locus; parochus autem hac illâve de causa, etiam culpa semota, utile ministerium in paroecia non gerat, vel gerere nequeat,

aut forte sua ibi praesentia noxius evadat; alia suppetunt remedia ad animarum saluti consulendum. In his potissimum est parochi amotio, quae oeconomica seu disciplinaris vulgo dicitur, et nullo iudiciali apparatu, sed administrativo modo decernitur, nec parochi poenam propositam habet, sed utilitatem fidelium. Salus enim populi suprema lex est: et parochi ministerium fuit in Ecclesia institutum, non in commodum eius, cui committitur, sed in eorum salutem, pro quibus confertur.

Verum, quum de hac amotione canonicae leges haud plane certae perspicuaeque viderentur, coetus Consultorum et E.morum Patrum ecclesiastico codici conficiendo praepositus, rem seorsim ac repetito studio tractandam suscepit; collatisque consiliis, censuit formam quandam accuratiorem esse statuendam, qua gravis haec ecclesiasticae disciplinae pars regeretur. Quae studia quum SS.mus D. N. Pius PP. X et vidisset et probasset, quo tutius in re tanti momenti procederet, sententiam quoque sacrae huius Congregationis Consistorialis exquirendam duxit. Qua excepta et probata, ut Ecclesia posset, nulla interiecta mora, novae disciplinae beneficio frui, decretum per hanc S. Congregationem edi iussit, quo novae normae de amotione administrativa ab officio vel beneficio curato statutae promulgarentur, eaedemque canonicam legem pro universa Ecclesia constituerent, omnibus, ad quos spectat, rite religioseque servandam.

Hae autem normae hisce qui sequuntur canonibus continentur.

COMMENTARIUM IN SINGULOS CANONES

1. Habemus in subiecta materia novam omnino legislationem canonicam. Etiam anteactis temporibus in Curia Romana *remotio oeconomica* admissa erat [1]; sed erat in praxi difficilis, limitata quoad causas, incerta et imperfecta quoad normas. Nunc vero *novum ius commune* pro

[1] *Recole* pag. 399-413; Cf. Gennari, *Sulla privazione del Beneficio ecclesiastico*, pag. 215; *Acta S. Sedis, passim.*

Ecclesia universa sapientissime inductum est, quod partem integralem constituet novae Codificationis Iuris Canonici.

2. Constat Decretum 8 partibus, inter se apprime distinctis et bene ad invicem dispositis. Unusquisque per se videre potest quid et quomodo; de hoc ergo satis.

3. Per hoc Decretum *amotio* seu *remotio* Parochorum ([1]) statuitur et regitur peculiari prorsus modo, sc. in via disciplinarî; simulque determinantur tum cautiones (garanzie) in favorem Parochorum, tum normae in processu conficiendo omnino servandae, sub poena nullitatis factorum et peremptionis Causae.

4. Huic legi certo subiacent omnes Parochi et Beneficiati in cura animarum, etiam qui ante promulgationem Decreti collationem sui Beneficii obtinuerunt. Nam ex intentione Principis legislatoris haec lex statim ubique executioni mandanda est ([2]).

5. Notandum autem hic est, quod per hoc Decretum remotio Parochorum *prout in Tridentino* ([3]) omnino intacta relinquitur. Scilicet contra Parochos, qui *turpiter et scandalose* vivunt, possunt etiam in praesentiarum Ordinarii *processum criminalem* instituere et convictos per sententiam iudicialem *beneficio privare* ([4]). E contrario, Decretum *Maxima cura* praevidet *alios casus*, pro quibus novum processum statuit *remotionis* nempe *disciplinaris,* de qua modo agimus.

6. Statim ab initio est animadvertendum, nomine *Ordinarii,* in hac speciali materia, non venire Vicarium Generalem, sed tantum Episcopum ([5]). Hic *causas* amotionis colligere, cognoscere de iisque iudicare debet, antequam initium actorum processualium fiat.

Pro Vicario Gen. *specialis* ab Episcopo delegatio necessaria esset.

7. Conficiat oportet Ordinarius *Positionem* propriam (incartamento, dossier) uniuscuiusque Processus, singulatim, et in actis Causae seu Processus exemplar (copia, minuta) praecipuorum documentorum asservetur,

([1]) Non solum Parochorum, sed et aliorum Clericorum, qui Officium Curatum obtinent. Vide tamen *exceptiones* can. 30.

([2]) Cf. prooemium Decreti, ubi aperte declaratur: *Ut Ecclesia posset, nulla interiecta mora, novae huius disciplinae beneficio frui.* Quod impossibile evaderet, si contraria sententia admitteretur.

([3]) Sess. XXIV. de Ref. cap. XVIII. — Ibid. cap. VI.

([4]) Id innuitur expresse etiam in Prooemio Decreti, per illa verba: Si quis *scelestus* creditum sibi gregem destruat magis quam aedificet, is debet, ... instituto *iudicio de crimine*, beneficio privari . . . .

([5]) Cf. can. 32. — Veniunt tamen sub tali nomine Vicarius Capitularis et Administrator Apostolicus in Sede Vacante, ut ex iure communi.

ex. gr. invitationis ad renunciandum, monitionis canonicae [1], citationis factae etc.

Fac-simile talis *Positionis,* quae appellatur etiam *Fasciculus Actorum,* invenitur in fine huius libri. Inspice Indiculum.

Plurimae aliae *Formulae,* occurrentes in actis processualibus Causae, desumi possunt ex citato meo Opere. *Recole* pag. 353-355.

I. — De causis ad amotionem requisitis.

Can. 1.

Causae, ob quas parochus administrativo modo amoveri potest, hae sunt :

1. Insania, a qua ex peritorum sententia perfecte et sine relabendi periculo sanus fieri non posse videatur; aut ob quam parochi existimatio et auctoritas, etiamsi convaluerit, eam penes populum fecerit iacturam, ut noxium iudicetur eumdem in officio retinere.

2. Imperitia et ignorantia, quae paroeciae rectorem imparem reddat suis sacris officiis.

3. Surditas, caecitas et alia quaelibet animae et corporis infirmitas, quae necessariis curae animarum officiis imparem in perpetuum vel etiam per diuturnum tempus sacerdotem reddant, nisi huic incommodo per coadiutorem vel vicarium occurri congrue possit.

4. Odium plebis, quamvis iniustum et non universale, dummodo tale sit quod utile parochi ministerium impediat, et prudenter praevideatur brevi non esse cessaturum.

5. Bonae aestimationis amissio penes probos et graves viros, sive haec procedat ex inhonesta aut suspecta vivendi ratione parochi, vel ex alia eius noxia, vel etiam ex antiquo eiusdem crimine, quod nuper detectum ob praescriptionem poena plecti amplius non possit; sive procedat ex facto et culpa familiarum et consan-

[1] *Formula* pro monit. canon.: *Recole* pag. 398; itemque pag. 441.

guineorum, quibuscum parochus vivit, nisi per eorum discessum bonae parochi famae sit satis provisum.

6. Crimen quod, quamvis actu occultum, mox publicum cum magna populi offensione fieri posse prudenti Ordinarii iudicio praevideatur.

7. Noxia rerum temporalium administratio cum gravi ecclesiae aut beneficii damno; quoties huic malo remedium afferri nequeat auferendo administrationem parocho aut alio modo, et aliunde parochus spirituale ministerium utiliter exerceat.

8. Neglectio officiorum parochialium post unam et alteram monitionem perseverans et in re gravis momenti, ut in sacramentorum administratione, in necessaria infirmorum adsistentia, in catechismi et evangelii explicatione, in residentiae observantia.

9. Inobedientia praeceptis Ordinarii post unam et alteram monitionem et in re gravis momenti, ceu cavendi a familiaritate cum aliqua persona vel familia, curandi debitam custodiam et munditiem domus Dei, modum adhibendi in taxarum parochialium exactione et similium.

Monitio, de qua superius sub extremo duplici numero, ut peremptoria sit et proximae amotionis praenuntia, fieri ab Ordinario debet, non paterno dumtaxat more, verbotenus et clam omnibus; sed ita ut de eadem in actis Curiae legitime constet.

1. *Causae* pro amotione *variae,* uti patet, indicantur et assignantur: partim abstractione facta a culpa Parochi, saltem theologica, nisi semper etiam iuridica; partim non seclusa Parochi contumacia, vel mala eiusdem voluntate.

2. Bene pensandae sunt hae causae, et in singulis casibus rite applicandae, necnon stricte interpretandae. Ratio evidens est. Re quidem vera, causae sunt *ratio* seu basis totius processus; atqui, si fundamentum vacillat, totus processus claudicat et sententia difficile sustinetur. Meminerint id Parochi et bene oculati sint circa hanc materiam, quae *corpus delicti,* ut ita dicam, constituit. Non enim difficile contingere potest (quoniam *errare humanum est)* ut processus super satis falsum suppositum instruatur. Tunc iustitia est, et quidem stricti iuris, ut Parochus se tueatur legitimis mediis, Superiorem nempe iuridice, tum iudicialiter tum etiam extraiudicialiter, illuminando, ut veritas detegatur et aequivocatio,

si qua irrepserit, de medio tollatur. Id nonnisi peroptare potest Ecclesia, quae Sacerdotes suos, ut filios praedilectos, peramanter fovet, defendit, honorat.

3. Duplici via procedere potest Parochus in sua defensione: alia respicit *materiam* processus, alia vero *formam.* Quoad materiam, destruere debet *probationes* contra ipsum allatas, idque omnibus argumentis a iure admissis, praecipue documentis, factis et testibus ([1]); quoad formam vero, impugnare debet quemcumque *defectum* essentialem, quo claudicare potest processus, attente examinando, num omnes ad unguem servatae fuerunt formalitates a Decreto statutae et tanquam necessariae ab eodem requisitae. De omnibus his opportunas singulis suis locis animadversiones proponemus.

4. Duplex distinguitur, in iure canonico, *monitio:* in forma *paterna* et in forma *legali.* Tantummodo monitio in forma legali dici potest *monitio canonica,* stricte loquendo. In praesenti Canone evidenter agitur de hac secunda ([2]). Si ergo Ordinarius *in forma monitionis* forte deficiat, locum habere potest *peremptio* processus ([3]).

5. Hic autem est advertendum, doctrinam communem DD. de monitione triplici, vel unica pro triplici sed peremptoria, in hoc speciali negotio aliquantum immutatam esse. Requiritur nempe *duplex* monitio, et de utraque *in actis Curiae legitime constare* debet. Si aliter fiat, vitiatus manet processus *in sua causa.*

6. *Quaestio* quoad n. 6: Post patratum crimen, Parochus resipiscens ad meliorem frugem iam pervenit. Potest Episcopus, hoc non obstante, *administrativo modo* eum amovere? - Procul dubio. Ad vitandam amotionem resipiscentia Parochi valet tantum quoad *causas* sub 8. et 9. numero recensitas, ubi praeviae *monitiones* requiruntur, quae incassum cedant.

II. — De modo procedendi in generali.

Can. 2.

§ 1. Modus deveniendi ad amotionem administrativam hic est: ut ante omnia parochus invitetur ad renunciandum: si renuat, gradus fiat ad amotionis decretum: si recursum contra amo-

([1]) *Recole* pag. 59-65; 69-72; 76-98; 103-108.
([2]) *Recole* pag. 383-390 quoad *praxim* pro monitione.
([3]) *Recole* pag. 193, n. 33; pag. 201.

tionis decretum interponat, procedatur ad revisionem actorum et ad praecedentis decreti confirmationem.

§ 2. In quo procedendi gradu regulae infra statutae ita servandae sunt, ut, si violentur in iis, quae substantiam attingunt, amotio ipsa nulla et irrita evadat.

1. Prima paragraphus loquitur tantum *de confirmatione* praecedentis decreti amotionis; at nullum dubium, quin haberi possit, e contrario, praecedentis decreti *reformatio* (revocatio), sive ex detecta melius veritate, sive ob vitium in processu.

2. Quod quidem confirmatum ex parte manet in secunda paragrapho, quae statuit invaliditatem processus et amotionis, si acta violentur in substantialibus. Sic aditum arbitriis praeclusum est in favorem Parochorum. Strictum ergo examen instituat Parochus circa acta processus et singulas regulas discutiat tum quoad earum applicationem, tum quoad formam seu modum applicationis ([1]).

3. Accepta invitatione ad renunciandum, Parochus infra 10 dies potest: *a)* respondere simpliciter renuendo; *b)* silere (contumax); *c)* causas falsas esse *probare* (non simpliciter affirmare); *d)* dilationem petere, sive ad deliberandum, sive ad defensionem instruendam ([2]).

Si *renuat,* vel *sileat,* illico post praefatos 10 dies decretum amotionis edi potest, cum nihil ulterius ([3]) ad hoc requiratur (dummodo constet rite factam fuisse invitationem et Parochum legitime impeditum non fuisse, quominus etc. Cf. can. 14.

Notandum: Si Parochus *contumax* fiat, ius amittit *recursum* interponendi, secundum Ius commune ([4]).

III. — De personis ad amotionem decernendam necessariis.

Can. 3.

§ 1. In *invitatione* parocho facienda ut renunciet, et in *amotionis decreto* ferendo, Ordinarius ut legitime agat, non potest ipse solus procedere; sed debet inter examinatores, de quibus sta-

([1]) Recole *passim* in meo Opere varias formalitates iuridicas in actis processualibus servandas. Hoc studium maximam habere potest utilitatem.

([2]) Haec *defensio*, uti patet, consistit in *probationibus* de falsitate causae.

([3]) Scilicet Parochus *ius amisit* ut processus fiat.

([4]) *Recole* quoad *contumaciam* pag. 131-135.

tuit Sacra Tridentina Synodus, cap. XVIII, sess. XXIV, *de reform.*, duos sibi sociare et eorum consensum requirere in omnibus actibus pro quibus hic expresse exigitur: in ceteris vero consilium.

§ 2. In *revisione autem decreti amotionis,* quoties haec necessaria evadat, duos parochos consultores assumat, quorum consensum vel consilium requiret, eodem modo ac in § superiore de examinatoribus dictum est.

1. In toto processu (1), inde ab ipsa *invitatione* ad resignandum, Episcopus *consensum* vel saltem *consilium* duorum *Examinatorum* Synodalium (vel Prosynodalium) exquirere debet, *sub poena invaliditatis actorum.*

2. Idem dicendum de duobus Parochis *Consultoribus,* in casu appellationis, pro *revisione processus.*

3. Quando consensus, quando vero consilium exquirendum sit, singulis propriis locis indicabit lex ipsa (2).

4. Consensus aequivalet voto *deliberativo ;* consilium autem voto *consultivo* tantum (3).

Can. 4.

Examinatoribus et parochis consultoribus eligendis lex in posterum ubilibet servanda haec esto:

§ 1. Si Synodus habeatur, in ea, iuxta receptas normas, eligendi erunt tot numero quot Ordinarius prudenti suo iudicio necessarios iudicaverit.

§ 2. Examinatoribus et parochis consultoribus medio tempore inter unam et aliam synodum demortuis, vel alia ratione a munere cessantibus, alios *prosynodales* Ordinarius substituet de consensu Capituli Cathedralis, et, hoc deficiente, de consensu Consultorum dioecesanorum.

§ 3. Quae regula servetur quoque in examinatoribus et parochis consultoribus eligendis, quoties synodus non habeatur.

(1) Quamvis non in singulis actis.

(2) Cf. tamen ad can. 6, num. 2.

(3) Semel pro semper notandum: *Commissio disciplinaris* in hoc opusculo significat: Episcopum cum duobus Examinatoribus. *Novum Consilium* autem significat: Episcopum cum duobus Parochis Consultoribus.

§ 4. Examinatores et consultores sive in synodo, sive extra synodum electi, post quinquennium a sua nominatione, vel etiam prius, adveniente nova synodo, officio cadunt. Possunt tamen, servatis de iure servandis, denuo eligi.

§ 5. Removeri ab Ordinario durante quinquennio nequeunt, nisi ex gravi causa et de consensu capituli cathedralis, vel consultorum dioecesanorum.

1. Novum ius circa Examinatores hic Canon induxit, vetere in hac materia prorsus abrogato.

2. Quaestio fieri potest: Examinator suffectus medio quinquennio Examinatori nuper praemortuo, decidit a suo officio quando exspirat quinquennium pro ceteris Examinatoribus? - Non decidit; tunc tamen potest cum ceteris denuo eligi ad quinquennium.

3. Omnibus in subiecta materia mature perpensis, concludendum mihi videtur: Ad officium Examinatoris et Consultoris eligantur viri in Iure peritissimi, magna eruditione praediti, aequanimes, virtute et generali existimatione praestantes, nec vetuli nec iuvenes, ab omni hominum acceptione immunes et insuspicati. Ceterum, *videant consules.*

Can. 5.

§ 1. Examinatores et parochi consultores ab Ordinario in causa amotionis assumendi, non quilibet erunt, sed duo seniores ratione electionis et in pari electione seniores ratione sacerdotii, vel, hac deficiente, ratione aetatis.

§ 2. Qui inter eos ob causam in iure recognitam suspecti evidenter appareant, possunt ab Ordinario, antequam rem tractandam suscipiat, excludi. Ob eamdem causam parochus potest contra ipsos excipere, cum primum in causa veniat.

§ 3. Alterutro vel utroque ex duobus prioribus examinatoribus vel consultoribus impedito vel excluso, tertius vel quartus eodem ordine assumetur.

1. Non potest Ep.us, initio alicuius processus, eligere *simultanee* tum duos Examinatores, tum duos Consultores sibi adsociandos. Sed ad electionem duorum Consultorum procedere tantum potest quando, peracto

processu disciplinari et lata sententia amotionis, parochus appellationem interponit pro revisione processus. Id constare debet ex data Patentium litterarum, quas Parochus inspicere poterit cum sibi defensionem post recursum parat, novas allegationes producendo.

2. Examinatores praeferendi sunt (itemque Consultores) qui priorem locum tenent ordine *electionis ad officium* Examinatoris prima vice factae post editum Decretum, de quo agimus, excepto fortasse casu, quo, quis progressu temporis per aliquod quinquennium non fuerit electus, deinceps vero iterum electus fuerit. Hic enim quadrat effatum: *Prior in tempore*, *potior in iure*. Opinio, quae tenet, prioritatem seu praeferentiam deducendam esse a die institutionis in Beneficium aut in officium curatum, falsa censenda est (1).

3. Si casus occurrat, quo apud aliquem Ordinariatum de pluribus uno eodemque tempore remotionibus processus instituatur, dubium exurgere potest, an iidem semper duo priores Examinatores (aut Consultores) qui in primo processu iam agunt, adhibendi sint ab Episcopo in omnibus processibus praefatis. At mihi videtur, quod spiritus legis (immo fortasse et littera) aliter suadeat procedendum. Id satis innui videtur etiam in § 3, ubi *de impedito* sermo est. Fortasse incompatibile est idem officium in pluribus processibus simultaneis; certe hoc potest *impedimentum* esse.

4. *Suspicio,* ex qua ius *exclusionis* seu *exceptionis,* (2) varias ob causas in Iure recognitas, haberi potest (3).

5. Si exclusio ab Ep.o sit facienda, antequam acta inchoentur fiat, secus amittet ius ipsum in posterum excludendi, vel saltem invalidari minime poterunt acta iam confecta, tanquam *suspicione* vitiata (4).

6. Suspicio in Examinatorem aut in Consultorem, quae *exclusioni* dat locum, provênire potest tum ex causis *in favorem,* tum ex causis *in damnum* parochi.

7. Parochus vero, contra quem processus instituitur, potest, iisdem de causis a Iure admissis, *reiicere* tum Examinatores tum Consultores,

(1) Cf. Acta Apost. Sedis, vol. II, n. 21, pag. 855.

(2) *Exclusio* ex parte Ep.; *exceptio* ex parte parochi.

(3) *Recole* pag. 188-200.

(4) Ratio est, ut mihi videtur, quia Episcopo ius exclusionis competit, praecipue *in favorem causae;* ita ut Examinatorem speciali affectione erga Parochum laborantem iure meritoque *suspectum de partialitate* habeat, ideoque non idoneum. At si, hoc non obstante, illum admittit, acta sustinentur. — Ex alia parte, postquam acta inchoata fuerint, res non amplius est integra, et Examinator ius acquisitum iam possidet.

tanquam *suspectos.* Id autem potest *ac debet* « *cum primum in Causa veniat* », sc. quando invitatus ad renunciandum, *causis* cognitis, oppositiones suas deducat, ut in can. 12 et 15.

8. Hoc *tempus utile* est et vocatur *terminus peremptorius;* plurimi autem est a Parocho faciendum, uti patet. Agitur enim de *exceptione praeiudiciali* contra legitimam constitutionem *collegii* iudicantis; aliis verbis, agitur de *incompetentia Tribunalis* seu *de exceptione fori declinatoria,* quae nisi statim ab initio proponatur, forus semel libere acceptatus, quamvis incompetens et suspectus, *fit competens* et *suspicio purgatur;* quare inutiliter postea exceptio praefata proponeretur et tanquam *frivola* iure meritoque reiiceretur ([1]).

9. Notandum, quod *exceptio ob suspicionem* in Curia Romana maximi ponderis aestimatur et quotidie in praxim deducitur: optimus humanae experientiae fructus!

10. Ceterum, Parochus, qui in processu *remotionis* quacumque de causa *exceptiones* suas tempore utili non proposuit, ius non amittit *excipiendi* Consultores in processu *revisionis* ([2]).

11. **Formula** electionis et deputationis Examinatoris Synodalis pro aliquo processu disciplinari:

Dilecto Nobis in Christo R.mo D.no NN., Examinatori Synodali, salutem in Domino sempiternam.

Cum apud Nos proxime agendum sit de amotione administrativa cuiusdam Parochi Nostrae Dioecesis, Ven. Decreto **Maxima cura** *S. C. Consistorialis 20 aug. 1910 inhaerentes, Te, statuta prioritate supra ceteros fruentem, ad munus Examinatoris in tali processu disciplinari per praesentes eligimus et deputamus, prout de iure; sperantes fore ut operam tuam super hoc negotio libenter impendes, eaque omnia, quae huic tuo muneri coniuncta sunt, omni peritia ac solertia exequaris.*

In quorum fidem.

Datum . . . . Sigillum . . . . Subscriptio.

12. **Formula** pro electione et deputatione Consultoris ad revisionem alicuius processus disciplinaris:

Dilecto Nobis in Christo adm. Rev. D.no NN., Parocho Consultori, salutem in Domino sempiternam.

Cum nuper apud Nos expletus fuerit processus disciplinaris contra adm. Rev. NN., Parochum loci N., huius Nostrae Dioecesis, et ipse

([1]) *Recole* pag. 232-233, nota; itemque pag. 119, n. 38.

([2]) Primo processu absoluto, in quo duo priores Examinatores egerunt, incipit secundus. An tertius et quartus assumendi? — Minime, sed denuo duo priores.

recursum tempore utili pro revisione Decreti amotionis apud Nos interposuerit; Nos Ven. Decreto **Maxima cura** *S. C. Consistorialis 20 aug. 1910 inhaerentes, Te, statuta prioritate supra ceteros fruentem, ad munus Consultoris pro revisione praefata per praesentes eligimus et deputamus, prout de iure; sperantes fore ut . . . . . .* (ut in formula praecedenti) (1).

Can. 6.

§ 1. Quoties in canonibus qui sequuntur, expresse dicitur, Ordinario procedendum esse de examinatorum vel consultorum consensu, ipse debet per secreta suffragia rem dirimere, et ea sententia probata erit, quae duo saltem suffragia favorabilia tulerit.

§ 2. Quoties vero Ordinarius de consilio examinatorum vel consultorum procedere potest, satis est ut eos audiat, nec ulla obligatione tenetur ad eorum votum, quamvis concors, accedendi.

§ 3. In utroque casu de consequentibus ex scrutinio scripta relatio fiat, et ab omnibus subsignetur.

1. Quomodo ferri debet suffragium in praxi? — *Secreto;* est expressum in lege. At quot personae dant suffragium? Examinatores (aut Consultores) tantum, vel etiam Episcopus? Ex verbo *saltem,* in lege expresso, satis innuitur, etiam Episcopum ad suffragium teneri.

2. *Consensus* generatim requiritur:

a) iuxta can. 9, § 2. (invitatio Parochi ad renunciandum).
b) iuxta can. 12. (dilatio termini post invitationem).
c) iuxta can. 15, § 3. (admissio testium pro defensione.)
d) iuxta can. 19, § 1. (decisio circa amotionem).
e) iuxta can. 22, § 2. (admissio recursus post fatalia).
f) iuxta can. 25, § 1. (decisio definitiva).

Consilium vero requiritur:

a) iuxta can. 15, § 4. (excussio testium et Parochi).
b) iuxta can. 26, § 2. (nova Parochi provisio).

3. Subsignatio triplex, sc. trium personarum Commissionem disciplinarem componentium, requiritur; quae, iuxta consuetudinem, simultanea esse debet et immediata (loco et tempore) post scriptam relationem de-

(1) Una eademque persona potest esse simul Examinator et Consultor; sed non in eodem processu.

scrutinio peracto eiusque exitu. Haec autem scriptura ab uno ex Examinatoribus, nisi ab Episcopo, fieri posse videtur ([1]).

4. Ex § 3 videretur, suffragium ferendum esse, cum consequenti scrutinio, etiam quando *consilium* petitur. At id necessarium non credo.

Can. 7.

§ 1. Examinatores et consultores debent sub gravi, dato iureiurando, servare secretum officii circa omnia, quae ratione sui muneris noverint, et maxime circa documenta secreta, disceptationes in consilio habitas, suffragiorum numerum et rationes.

§ 2. Si contra fecerint, non solum a munere examinatoris et consultoris amovendi erunt, sed alia etiam condigna poena ab Ordinario pro culpae gravitate, servatis servandis, multari poterunt: ac praeterea obligatione tenentur sarciendi damna, si quae fuerint inde sequuta.

1. Hic Canon non in favorem legis tantum, sed maxime in favorem Parochi cedit. Vigilet ergo ipse et denuntiet Superiori Examinatorem aut Consultorem, qui in munere suo, iuxta exposita, forte deficiat. Ius habet etiam hoc modo se tuendi.

2. **Formula** iurisiurandi, ab Examinatoribus et Consultoribus praestandi, antequam suum officium in aliquo proc. disciplin. suscipiant: *Recole* pag. 50 ([2]).

DE OFFICIO EXAMINATORIS

Ad ipsum spectat:

1. Electio et nominatio iuxta can. 4. et 5., ad quinquennium.

2. Iusiurandum coram Episcopo praestandum cum officium assumit in unoquoque processu administrativo.

3. Secretum officii servandum sub gravi, iuxta praescripta in can. 7.

([1]) Immo notandum, quod, excepta invitatione *orali*, in qua *aliquis Sacerdos* (can. 10, § 1.) admittitur, actuarii munere in processu semper unus ex Examinatoribus fungi debet.

([2]) Iusiurandum sufficit semel emissum post electionem, dummodo pro omnibus processibus. At melius est, illud renovare in casibus particularibus.

4. Actuarii munere fungi in actis processualibus conficiendis, si id necessitas aut opportunitas exigat.

5. Bene perpendere *causas* pro amotione adductas, earum ambitum, gravitatem, sufficientiam, legitimitatem, veritatem probe noscere et diiudicare.

6. Leges ac normas, in singulis can. huius Decreti statutas, ad unguem observare et exequi.

7. Incorruptibiliter munere suo fungi, absque hominum acceptione aut metu reverentiali.

8. Quotiescumque suffragium erit ferendum, cum *veritate, iudicio* et *iustitia* procedere; *in dubio* Parocho favere.

9. Subscribere actus processuales, in quibus conficiendis ipse Actuarium agit; itemque scrutinia et Decretum amotionis.

10. Parocho favere in suis *petitionibus* (ex. g., can. 12. et 15.), nisi iustitia aut gravis causa aliter suadeat.

11. Serio ac profunde discutere probationes et argumenta, quae amotionem suadent.

12. Idem quoad allegationes Parochi, quae *causam* impugnant (1).

13. Si dubius haereat, si veritas non sufficienter affulgeat, si probationes indigeant maiore certitudine, proponere, petere, exquirere acta, quae necessaria videantur.

14. Sententiam suam (nempe suam opinionem) in discussione super acta et allegata, non suo arbitrio vel affectu ductum exponere, sed

(1) Sic ergo *in praxi* agendum:

I. *Quoad acta processus informativi*: *a)* Singula documenta, unum post aliud, examinet, de authenticitate iudicet, quantum *valeat* (auctoritate scribentis), quantum *probet*, perpendat.

b) Singulas testium depositiones discutiat, an de scientia vel de auditu loquantur, an nimis animose, an sponte; an sereni vel partium studiosi, an suspicionem ingerant, etc. etc.

c) Argumenta singula, si quae adsint, ad trutinam sanae rationis revocet, et quanta soliditate gaudeant, cognoscat.

d) Quando testes petierunt, ne sua nomina pandantur; quando documenta ea sunt, quae prudenter ostendi non possunt; *difficilior* sit Examinator...., et dubitet, ne......

II. *Quoad defensionem Parochi: a)* Singula documenta.... ut supra, cauto tamen ne amicitiae causa relaxata fuerint, aut illicitis modis procurata.

b) Circa testes, agat ut supra Examinator, immo magis oculatus sit, cum apud vulgus compassionem *semper* exerceat imputatus.

c) Argumenta rationis bene perpendat, sanae criticae ea subiiciendo.

d) Exceptiones a Parocho productas serio examinet; a Iure admissas approbet; ceteras non illico reiiciat, sed discutiat, ne iustitia aut charitas offendatur.

seria ratione innixum, praesertim argumentis iuridicis, aut factis certis, aut legibus indubiis (1).

15. Durante processu occasiones cum Parocho aut eius amicis familiariter tractandi vitare, ne periculis exponatur.

Nota. An possit Examinator consilium petere a peritis etc? - Secluso periculo contraveniendi dispositionibus can. 7, affirmativam sententiam tenerem.

IV. — De invitatione ad renunciandum.

Can. 8.

Quoties itaque, pro prudenti Ordinarii iudicio, videatur parochus incidisse in unam ex causis superius in *can. 1.* recensitis, ipse Ordinarius duos examinatores a iure statutos convocabit, omnia eis patefaciet, de veritate et gravitate causae cum eis disceptabit, ut statuatur sitne locus formali invitationi parochi ad renunciandum.

1. Duo Examinatores una cum Episcopo constituunt *Commissionem disciplinarem,* seu Tribunal, pro processu amotionis.

2. Disceptatio de veritate et gravitate *causae amotionis,* quam Ep.us cum Examinatoribus instituere debet, respicit in quolibet casu specifico haec puncta:

a) An causae ab Episcopo patefactae reapse existant;

b) an inter recensitas in canone 1. comprehendantur;

c) an sint sufficientes quoad gravitatem;

d) an solido fundamento innitantur et quibusnam probationibus certis possint demonstrari ac sustineri;

e) an, perpensis omnibus circumstantiis, casus talis sit, ut amotio omnino necessaria evadat; et similia.

3. Hic notare iuvat, quod nulla Parochi *monitio* praescribitur praemittenda invitationi ad renunciandum, quando causae amotionis non pertineant ad illas, quae sub n. 8 et 9 canonis 1 recensentur. Quod contra accideret, si ageretur de *processu criminali,* iuxta Tridentinum.

(1) Hinc necessitas codicem iudiciarium iuris canonici diu noctuque manu versandi, necnon leges ecclesiasticas recte ac bene applicandi. *Recole* opus meum, per extensum.

Can. 9.

§ 1. Formalis haec invitatio semper praemittenda est antequam ad amotionis decretum deveniatur, nisi agatur de insania, vel quoties invitandi modus non suppetat, ut si parochus lateat.

§ 2. Decernenda autem est de examinatorum consensu.

1. Invitatio praescribitur *formalis,* sc. *expressa* opportunis et certis verbis, sive scripto sive oretenus; si scripto, non omissis certis formalitatibus; si oretenus, servatis quae in can. seq. indicantur.

2. Omissio *formalis* invitationis ad renunciandum, est talis defectus, qui vitiat totum processum illumque reddit ex iure invalidum. Tunc *querela nullitatis* quadrat (1).

3. Duo tantum casus excipiuntur in lege. De veritate *insaniae,* aut *impossibilitatis* invitationis, constare debet in actis processualibus, opportunis probationibus.

4. De disceptatione et de consensu Examinatorum quoad invitationem, per secreta suffragia obtento, constare debet ex actis, congrua descriptione adposita.

Can. 10.

§ 1. Invitatio scripto facienda generatim est. Potest tamen aliquando, si tutius et expeditius videatur, verbis fieri ab ipso Ordinario, vel ab eius delegato, adsistente aliquo sacerdote, qui actuarii munere fungatur, ac de ipsa invitatione documentum redigat in actis curiae servandum.

§ 2. Una cum invitatione ad renunciandum debent vel scripto vel verbis, ut supra, parocho patefieri causae seu ratio, ob quam invitatio fit, argumenta, quibus ratio ipsa innititur, servatis tamen debitis cautelis, de quibus in *can. 11*, examinatorum suffragium postulatum et impetratum.

§ 3. Si agatur de occulto delicto, et invitatio ad renunciandum scripto fiat, causa aliqua dumtaxat generalis nuncianda est; ratio autem in specie cum argumentis quibus delicti veritas

(1) *Recole* pag. 328 sqq.

comprobatur, ab Ordinario verbis dumtaxat est explicanda, adsistente uno examinatorum, qui actuarii munere fungatur, et cum cautelis ut supra.

§ 4. Denique sive scripto sive voce invitatio fiat, admonendus parochus est, nisi intra decem dies ab accepta invitatione aut renunciationem exhibuerit, aut efficacibus argumentis causas ad amotionem invocatas falsas esse demonstraverit, ad amotionis decretum esse deveniendum.

1. Actuarius nonnisi Sacerdos esse potest [1].

2. **Formula** describendi in actis invitationem *verbalem:*

Die . . . . . . coram Nobis comparuit Parochus NN., et, adsistente Sacerdote NN., actuarii munere ex Nostra delegatione fungente, eumdem Rev. Parochum NN. opportunis et expressis verbis ad renunciandum infra decem dies Beneficio et paroeciae de N. in hac Dioecesi rite invitavimus, patefactis eidem causis, ob quas invitatio fiebat, argumentis, quibus ipsae causae innituntur (debitis servatis cautelis), nec non suffragio ab Examinatoribus NN. et NN. postulato ac impetrato; eumque debite monuimus, quod, nisi infra praefatos decem dies ab accepta invitatione renunciationem Nobis exhibuisset, aut saltem efficacibus argumentis causas ad amotionem eidem patefactas falsas esse demonstrasset, ad amotionis decretum Nobis esset deveniendum.

Actum et datum in Palatio Nostro Episcopali die et anno praefatis
subscriptio Episcopi
subsignatio Actuarii.

3. **Formula** pro invitatione *scripta:*

Dilecto Nobis in Christo etc.

Rationes peculiares, gravis quidem momenti et ordinis superioris, animum Nostrum movent ad istam Paroeciam de novo Parocho et Pastore providendam. Idcirco, iuxta Decretum **Maxima cura** *diei 20 aug. 1910, adhibitis Nobiscum duobus Examinatoribus Synodalibus* (vel *Pro Synodalibus), sc. NN. et NN., de eorum consensu, per secreta suffragia et ad formam exquisito ac obtento, Te per praesentes formaliter invitamus et requirimus, ut Beneficio Parochiali Sanct . . . loci . . . , quo nunc frueris, libere ac sponte renunties in manibus Nostris, eamdemque Paroeciam infra tempus a Nobis et inter nos concorditer ac papraefiniendum liberam relinquas, ut ad ulteriora devenire possimus,*

[1] De Actuario *Recole* pag. 44-48.

cifice iuxta ea, quae a S. Canonibus praescripta sunt. Te in Domino monentes, quod nisi infra decem dies a receptione praesentium praefatam renunciationem Nobis exhibueris, ad amotionis Decretum, praevio etiam eventuali disciplinari processu, erit Nobis procedendum.

Interim vero parati sumus, Tibi coram Nobis comparenti, **causas** (1), **ob quas** *etc., manifestare, prout de iure* (2), *ut Tibi provideas debitam defensionem, si et in quantum etc. Ita et omni alio meliori modo etc. In quorum fidem etc.*

Data — Subsignatio — Sigillum

Si congrua videatur, fiat haec variatio:

Causa (vel causae) autem amotionis, a Nobis iam probata, est . . . Argumenta vero, quibus innititur causa, sunt sequentia . . . Haec Tibi notificantur, prout de iure, ut Tibi provideas (etc. ut supra).

Nota. Si causa amotionis inter recensitas in num. 8 vel 9 can. 1. inveniatur, pro quibus *monitio duplex* requiritur, exprimatur in invitatione, loco opportuno, duplicem hanc monitionem *inutiliter* locum habuisse.

4. Litterae missivae, quibus Parochus ad resignandum invitatur, *sub secreto* expediendae sunt, et meliori quo fieri possit modo, ut habeatur *certitudo,* documento comprobanda, *receptionis* earumdem, ita ut negationi aut tergiversationi ex parte Parochi aditum praecludatur. Qui quidem modus *duplex* a DD. adsignatur:

a) Litterae expediuntur per tramitem postalem, sed *speciali modo,* qui sic italice sonat: Lettera raccomandata con ricevuta di ritorno.

b) Litterae *per Cursorem Curiae remittuntur Parocho,* et quidem vel subscriptionem ab ipso Parocho requirendo in actu traditionis ipsarum litterarum in probationem receptionis; vel modo communi: *Recole* pag. 120, n. 8 et 12. *Recole* etiam pag. 182-183.

5. In § 3. agitur de *occulto* delicto, sub n. 6. can. 1. recensito.

Hic bene advertendum, quod in tali casu non quilibet Sacerdos Actuarii munere fungi potest, sed tantum unus ex duobus Examinatoribus a iure statutis et ab Episcopo rite assumptis.

6. Omissio, in invitatione, *monitionis* expressae in § 4, vitiat invitationem, quae non amplius est *formalis;* hinc peremptio processus (3) vel querela nullitatis (4).

(1) *Recole* pag. 204-205.

(2) *Aliter scribi potest:* In folio separato et in praesentibus litteris missivis incluso tibi panduntur *causae, ob quas* etc., prout de iure, ut Tibi provideas. . . *(ut supra).*

(3) *Recole* pag. 201 et passim.

(4) *Recole* pag. 328-332.

7. De *cautelis* necessariis in aliquibus casibus aut circumstantiis, agemus in seq. canone.

8. Evenire potest, ut Parochus domi non inveniatur a Cursore. Tunc praxis haec est: (Cf. *Acta Apost. Sedis,* Num. 20, an. 1910).

« Cum . . . actus notificandus sit ab apparitore seu cursore, hic non modo super textu autographo, sed etiam super exemplari notabit diem, nomen personae, cui remiserit exemplar, eiusque domicilium, nec non apponet suam subscriptionem. Super textu autem autographo ita scribetur: « (Data . . .) Io sottoscritto Cursore ho notificato copia simile al presente originale al Signor NN. domiciliato in . . . . Via . . . ., consegnandola nelle mani di NN. domestico, che s' incaricò della consegna dell' Atto. NN. Cursore del Tribunale Ecclesiastico di N. » Super exemplari Cursor eandem faciet relationem, excepta sequenti variatione: « Ho notificato la presente copia, conforme al suo originale, al Sig. . . . . » (1).

Can. 11.

§ 1. In communicandis argumentis, quibus comprobatur veritas causae ad renunciationem obtinendam adductae, caveatur ne nomina patefiant recurrentium vel testium, si ii secretum petierint, aut, etiamsi secretum non petierint, si ex adiunctis praevideatur eos vexationibus facile expositum iri.

§ 2. Item relationes ac documenta, quae sine periculo magnae populi offensionis, rixarum vel querelarum, palam proferri non possunt, scripto ne patefiant; imo ne verbis quidem, nisi cauto omnino ne memorata incommoda eveniant.

1. Sunt qui criticam satis acerbam huic Canoni movent, eo quod nimis concedatur delatoribus (2) et testibus, cum praeiudicio aut veritatis, aut defensionis Parochi. Tali criticae ego non subscribam. Nam testes vel sunt *spontanei* vel *ex officio assumpti;* iterum sunt vel *impartiales* et *probi,* vel improbi et contra parochum malo animo affecti. Commissio disciplinaris *suspectos* habebit priores, *reiiciet* posteriores, et veritatem aliis mediis detegere poterit.

(1) Est eadem praxis, quam adhibent apparitores tribunalium civilium et illius carissimae personae, quae vulgo dicitur: *Esattore Comunale.*

(2) Doctrina circa nomina testium, silentio premenda, est communis DD. *Recole* pag. 207, 6.

2. Ceterum haec Parochi defensio nimis urgenda non est. Agitur de salute animarum, ex una parte; ex altera Parochus opportunam provisionem adipiscetur, etiam in hypothesi peiore.

3. Parochus caute omnino debet negotiari et a vexationibus atque incommodis in hoc can. enunciatis prorsus abstinere; ne eius conditio, iam pessumdata, magis aggravetur ex tali deplorabili agendi ratione.

4. Ceterum gravitas harum dispositionum neminem effugiet. Agitur de veritate, de iustitia et de bono nomine Sacerdotis, quae in periculo sunt. Pensent haec Episcopi et videant, ne gravissimis conscientiae laqueis se implicent, nisi prudentissime et tuto agant, certis ac undequaque inconfutabilibus argumentis seu probationibus innixi. Pensent haec Parochi *secretam* contra se *inquisitionem* (1) suspicantes, et videant ne illicitis mediis sibi defensionem parent, quamvis defensio sit strictissimi iuris naturalis et omnino inalienabilis.

Can. 12.

Fas autem parocho est, invitatione cum assignato temporis limite accepta, dilationem ad deliberandum vel ad defensionem parandam postulare. Quam Ordinarius potest iusta de causa, cum examinatorum consensu, et modo id non cedat in detrimentum animarum, ad alios decem vel viginti dies concedere.

1. Maximae utilitatis est pro parochis haec dilationis concessio; ideo semper petenda (2). Interim enim mente serena res melius ponderantur, et, indirecta via illuminari parochus potest consilio, studio et opere alicuius personae in iure peritae et experientia praestantis.

2. Ordinarii autem sint non difficiles ad statutam dilationem concedendam, ob difficultates, quas iis denegatio creare posset.

Can. 13.

§ 1. Si parochus invitationi sibi factae assentiri et paroecia se abdicare statuat, renunciationem edere potest etiam sub conditione, dummodo haec ab Ordinario legitime acceptari possit et acceptetur.

(1) De secreta inquisitione *Recole* pag. 25; et 379-383.
(2) *Recole* pag. 278-279.

§ 2. Fas autem parocho renuncianti est loco causae ab Ordinario invocatae aliam ad renunciandum allegare sibi minus molestam vel gravem, dummodo vera et honesta sit, e. g. ut obsequatur Ordinarii desideriis.

§ 3. Renunciatione sequuta et ab Ordinario acceptata, Ordinarius beneficium vel officium vacans ex renunciatione declaret.

1. Ut *conditio,* in resignatione apposita, *legitime acceptari possit,* requiritur ut nulli legi canonicae repugnet; inter alias, haec lex statuta est: ut *pensio* pro parocho renunciatario non superet tertiam partem fructuum beneficii.

2. **Formula** pro renunciatione:

Die . . . . Ego subscriptus NN., Parochus loci N., dioecesis N., sponte ac libere per praesentes renunciationem Beneficio Parochiali Sanct. N. loci N. praefati, quo gaudeo, in manibus R.mi mei Ordinarii exhibeo, simpliciter et inconditionate, ita ut a die legitimae acceptationis Beneficium praedictum perfecte vacans de iure et de facto evadat, aliique in formis etc. iterum conferendum. In quorum fidem (subsignatio).

Nota. Si resignatio sit *conditionata,* loco verborum: *simpliciter et inconditionate,* scribatur: *Cum adiecta tamen conditione, sine qua non, ita ut...* etc. ut in formula. Ante verba autem: *In quorum fidem* scribatur: *Conditio haec est:* (hic exponatur claris verbis, ita ut quaelibet aequivocatio aut possibile dubium de medio tollatur).

Nota. Si resignatio personaliter in Curia fiat, quaelibet instructio hic inutilis evaderet.

Nullum dubium, quin in resignatione nulla causa necessario sit exponenda.

V. — De amotionis decreto.

Can. 14.

§ 1. Si parochus intra utile tempus nec renunciationem emittat, nec dilationem postulet, nec causas ad amotionem invocatas oppugnet, Ordinarius, postquam constiterit invitationem ad renunciandum, rite factam, parocho innotuisse, neque ipsum quo-

minus respondeat legitime impeditum fuisse, procedat ad amotionis decretum, servatis regulis, quae in sequentibus canonibus statuuntur.

§ 2. Si vero non constet de superius indicatis duobus adiunctis, Ordinarius opportune provideat, aut iterans parocho invitationem ad renunciandum, aut eidem prorogans tempus utile ad respondendum.

1. Tempus utile, hic memoratum, sunt *decem dies* a receptione invitationis ad renunciandum.

2. Si infra hoc tempus *dilatio* petitur, tempus utile decurrit a primo decemdio ad secundum (20 dies) et ad summum ad tertium (30 dies) (1).

3. Episcopus post decem praefatos dies, inutiliter elapsos, *amotionis decretum* conficere potest, processu disciplinari omisso, servatis tamen regulis in can. 20 statutis.

4. Legitimum impedimentum, quominus Parochus, post acceptam invitationem, respondeat, est morbus, absentia necessaria, et quodlibet grave impedimentum a propria voluntate independens; semper *probatio* impedimenti, qualecumque sit, est necessaria. Tamen satis est, generaliter loquendo, ut infra praefatum decemdium Parochus, vel alius pro eo, Episcopo participet impedimentum et moram petat (2).

Can. 15.

§ 1. Si parochus oppugnare velit causas ad amotionem decernendam invocatas, debet intra utile tempus scripto deducere iura sua, allegationibus ad hoc unum directis, ut causam, ob quam renunciatio petitur, impugnet et evertat.

§ 2. Potest etiam ad aliquod factum vel assertum quod sua intersit, comprobandum, duo vel tres testes proponere, et ut examinentur, postulare.

§ 3. Ordinarii tamen est cum examinatorum consensu eos vel aliquot ipsorum, si idonei sint et eorum examen necessarium videatur, admittere et excutere; vel etiam, si causa amotionis

(1) Ratio est, quia Parochus ius habet ad *prorogationem* integri decemdii (sc. prorogatio peti potest *decimo die*).

(2) *Recole* pag. 126, n. 2 et 5.

liqueat et testium examen inutile et ad moras nectendas petitum appareat, excludere.

§ 4. Quod si, allegationibus exhibitis, dubium exoriatur quod diluere oporteat ut tuto procedi liceat, Ordinarii erit cum examinatorum consilio, etiam parocho non postulante, testes, qui necessarii videantur, inducere, et parochum ipsum, si opus sit, interrogare.

1. Si Parochus invitationi Episcopi oppositionem faciat, necessarius evadit *processus disciplinaris,* seu administrativus, cuius primus actus est epistola ipsa Parochi, qua exponit, quod *iura sua deducere* intendit. Id facere debet intra praefatum *utile tempus;* (1) et quidem *scripto,* non oretenus; *allegationes* (sc. rationes, argumenta, facta, probationes quaecumque) debent *exclusive* impetere, *oppugnare, evertere causam,* ob quam ad renunciandum invitatus fuerat.

2. Ad hoc potest etiam *testes* inducere (duos vel tres), tum ut *accusationes* falsas demonstret, tum ut *facta,* quae in suum favorem super hoc praeciso puncto (sc. *causae* seu accusationum) et non divagando, comprobet (2).

Potest item *documenta* praesentare, *exceptiones* proponere, *leges* citare etc. etc.

3. Totam doctrinam iuridicam, quae *testes* respicit (3), bene et profunde Parochus evolvat; testes inducat, si possibile fiat, *omni exceptione maiores* et relevantes; *documenta* praesentet fide undequaque digna (4), *facta* demonstret, quae certa sint et facile cognosci et confirmari possint; *exceptiones* legitimas, non frivolas, proponat (5); leges ecclesiasticas, iuris communis aut particularis (6), sibi favorabiles praecise citet, tuto explicet et recte proprio casui applicet; argumenta et ratiocinationes, quas nectit, reapse concludentes sint, *non verba, verba, praetereaque nihil.*

4. Abstineat Parochus in sua scriptura ab inutilibus querelis; paucis et gravibus verbis se explicet; clare et logice sua argumenta expo-

(1) Scilicet, vel *intra 10 dies* a receptione invitationis ad renunciandum; vel intra *terminum dilationis* petitum et obtentum.

(2) Hic ergo phasis illa processus inchoatur, quae vulgo *dibattimento, dèbats, trial, Streit,* appellatur. *Recole* pag. 187 et seqq.

(3) *Recole* pag. 76-108. Cf. *Acta Apost. Sedis,* vol. II., num. 20, § 114 sqq.

(4) *Recole* pag. 62; itemque pag. 69-72.

(5) *Recole* pag. 188 et sqq.

(6) Si iuris *particularis,* oportet ut vigeant in propria Dioecesi.

nat [1]; placide loquatur, polite et debita cum reverentia, comes et urbanus, serenus ac obiectivus [2].

5. Testes a Parocho propositi, cum postulatione ut examinentur, *reiici* possunt a Commissione disciplinari nisi sint *idonei,* [3] nec eorum examen *necessarium* appareat. Quod peculiariter eveniet in casu, quo *causa amotionis* tam certa sit, ut probationibus impugnari nullo modo possit; vel quando allegationes parochi evidenter apparent tamquam *medium dilatorium,* [4] scilicet medium *ad moras nectendas,* quod prorsus irrationabile esset. Sed in hac re maxima prudentia est Episcopo procedendum; agitur enim *de iustitia et iure,* in quo *reiectionis* et *negationis* praefatae iustificatio perdifficilis omnino est.

6. Quando testium examen admittitur (quod per secreta suffragia resolvi debet), eorum excussio ab Episcopo facienda est [5]. Ex can. 24, § 3., videntur intervenire *posse* (adsistentes, coadiuvantes?) etiam Consultores; ergo *ex paritate casus* etiam Examinatores.

7. Ex allegationibus Parochi, sc. ex rationibus et argumentis ab ipso adductis, exurgere potest aliquod dubium super veritate accusationum contra ipsum existentium. Tunc Episcopus, requisito Examinatorum *consilio, potest* procedere *ex officio* ad examen aliquorum testium, *qui necessarii videantur* ad veritatem in tuto ponendam. At ex complexu circumstantiarum facile concludendum erit, *ex iustitia* teneri Episcopum *ad inquisitionem necessariam* pro veritate tuenda; quia ipse est pater, custos ac vindex suorum Sacerdotum et in *vinea Domini* coadiutorum; non tantum iudex.

8. Interrogatio directa Parochi [6] maximi facienda est; criterium prae omnibus iustissimum, moderno legum spiritui apprime respondens; lux a Christi Domini Evangelio promanans. Nemo damnandus, nisi prius audiatur [7].

Can. 16.

§ 1. In examine testium sive ex officio sive rogante parocho inductorum, ea dumtaxat serventur quae necessaria sint ad

(1) *Recole* pag. 254-255.
(2) *Recole* pag. 253, n. 17 et 18.
(3) De idoneitate testium *Recole* pag. 76-91.
(4) Quoad *frivolas* dilationes *Recole* pag. 173 et *passim.*
(5) Quoad *modum* excutiendi testes *Recole* pag. 92-96; nec non pag. 241-245.
(6) Si Parochus citandus *Recole* pag. 119-136.
(7) Pro examine Parochi *Recole* pag. 137-154; *Recole* etiam pag. 204, 9, sqq.

veritatem in tuto ponendam, quolibet iudiciali apparatu et *reprobationibus* testium exclusis.

§ 2. Eadem regula in interrogatione parochi, si locum habeat, servetur.

1. Processus disciplinaris est essentialiter oeconomicus et *speciali prorsus modo* summarius: respuit idcirco non tantum *solemnitates* iudicii, sed et ipsas formalitates minus solemnes, quae tamen iudicialem apparatum sapiunt (1), veluti quae *accidentales* vocantur; ex. gr. contestatio *formalis,* testium *confrontatio, duplicatio, conclusio* in causa; et similia. Lex hic expresse excludit testium *reprobationes,* sc. recusationes per testes novos.

2. Notandum tamen: *interdicta* parocho recusatione testium, non interdicuntur allegationes, quae ipsos *suspectos* esse probant, ut in can. seq.

Can. 17.

§ 1. Si parochus intersit et documenta ac nomina testium ipsi patefiant, ipsiusmet erit, si possit ac velit, contra ea quae afferuntur excipere.

§ 2. Quando vero parochus iuxta *can. 9* invitari nequeat ad iura sua deducenda, aut quando iuxta *can. 11* testium nomina et aliqua documenta ei manifestari nequeant, ipse Ordinarius curas et industrias omnes abhibeat, (seu *diligentias*, ut vulgo dicitur, peragat) ut de documentorum valore et de testium fide iustum iudicium fieri possit.

1. Potestne Parochus postulare, ut personaliter audiatur? Affirmandum videtur, cum nullibi lex id prohibeat. Hoc maximae utilitatis esse potest pro Parocho; quia tunc, servatis cautelis prudentialibus in can. 11 enunciatis, documenta de visu inspicere et testes cognoscere potest; hinc opportuna ipsi occasio deducendi et comprobandi quascumque rationes, quae testes *suspectos* reddunt eorumque depositiones infirmant, et documenta *fictitia* aut *falso* supposito innixa demonstrant (2). Id sonat verbum *exci-*

(1) *Recole* pag. 11-17.

(2) Quoad *probationes* Recole pag. 59-65. - Quoad *documenta* Recole pag. 69-72

pere. At Commissio disciplinaris *non tenetur necessario* Parochum audire. Cf. can. 15: *Ordinarii est . . . Ordinarii erit . . .*

2. Speciali gravitate et ponderatione procedere debet Commissio disciplinaris in casibus extraordinariis, de quibus in § 2 sermo est. Certum est enim, quod difficile potest Ordinarius iustum et exactum iudicium concipere aut sibi adipisci circa valorem depositionum testium et documentorum, quando de iis quid sentiat parochus cognoscere nequeat. Equidem negare non audeam, documenta *apocrypha* et testes *malae reputationis* facile perpendi et diiudicari posse; at si documenta *vera* sunt, et testes *bona fama* praediti, nemo inficietur difficultatem pro Ordinario detegendi puncta, seu loca, in quibus eadem documenta vulnerabilia sunt, aut detegendi alia documenta ipsis contradicentia. Quoad testes autem, si *ex malo animo* contra Parochum deposuerunt, quomodo eorum calumniae detegi poterunt? quomodo damnum iniustum Parocho impendens vitari poterit? Unicum contra haec eventuale remedium erit *appellatio* pro revisione processus. Id Parochi ne obliviscantur.

Can. 18.

§ 1. Ad renunciationem et amotionem impediendam nefas parocho est turbas ciere, publicas subscriptiones in sui favorem promovere, populum sermonibus aut scriptis excitare aliaque agere, quae legitimum iurisdictionis ecclesiasticae exercitium imimpedire possunt: secus, iuxta prudens Ordinii iudicium, pro gravitate culpae quniatur.

§. 2. Insuper cum agatur de re ad consulendum animarum bono directa et administrativo modo reselvenda, parochus, nisi legitime impeditus sit, debet ipse per se, excluso aliorum interventu, adstare. Si autem impeditus sit, potest probum aliquem sacerdotem sibi benivisum et ab Ordinario accceptatum procuratorem suum constituere.

1. Pessime, praeterquam inconsulte, ageret Parochus, qui nefarias actiones in § 1. recensitas perpetraret; se suaque iura pessumdaret; in suspensionem forte incideret et quod nititur defendere, citius perderet (1).

2. Verum beneficium est pro Parocho, *legitime* impedito quominus per

(1) *Recole* pag. 422-442.

se compareat et se tueatur, ut *amicum* Sacerdotem deputare possit, qui pro se agat, veste ac mandato Procuratoris (1). Interventus tamen directus veri ac proprii Defensoris semper excluditur; quamvis vetitum haud sit, consilium a peritis petere, aut etiam *memoriam scriptam* aliorum opera sibi procurare, qua Parochus utatur in propria defensione, scripta aut orali (2).

3. **Formula** pro confirmatione Procuratoris:

Attento legitimo impedimento, nempe . . . , quo laborat Rev. NN., Parochus loci N., ita ut coram Nobis personaliter comparere et agere nequeat; attenta delegatione proprii Procuratoris ab ipso facta in persona Rev. Sacerdotis NN., ut patet ex documento sub num. 9; quum idem Sacerdos Nobis acceptus sit, per praesentes eamdem delegationem confirmamus eumdemque Sacerdotem NN. Procuratoris munere apud Nos pro Parocho NN. agere posse et valere declaramus (3).

In quorum fidem etc.

Datum — Sigillum — Subsignatio

Can. 19.

§ 1. Omnibus expletis, quae ad iustam parochi tuitionem pertinent, de amotionis decreto ab Ordinario cum examinatoribus discutiendum est, et per secreta suffragia iuxta praescripta in *can. 6* res est definienda.

§ 2. Suffragium autem pro amotione nemo dare debet, nisi sibi certo constet causam parocho denuntiatam vere adesse eamque legitimam.

Priusquam discussio a Commissione disciplinari fiat circa amotionis decretum, omnia peracta esse debent, quae in praecedentibus can. *statuta* sunt; sc. praemissis deductionibus, allegationibus et probationibus Parochi, ita ut nihil aliud iure faciendum sit, ut veritas contra vel in favorem Parochi effulgeat. Hinc facile quisque iudicium tutum in sua

(1) *Recole* pag. 266-268.

(2) *Recole* pag. 250, 260-262; itemque pag. 284-285; necnon pag. 265. — Defensio *oralis* esset quando Parochus *audiatur*. Cf. can. 16 et 17.

(3) Minuta asservatur in actis; exemplar transmittitur Parocho, qui illud Procuratori tradet

conscientia efficere potest super negotio. Quodsi, quacumque demum de causa, *sibi certo non constet* de veritate et legitimitate causae amotionis, abstineat a suffragio ferendo (1), vel suffragium contra amotionem ferat. Ad hoc tenetur in conscientia ex lege et ex iustitia (2).

Can. 20.

§ 1. Si conclusio sit pro amotione, decretum ab Ordinario edi debet, quo generatim statuatur ratione boni animarum parochum amoveri. Propria autem et peculiaris amotionis causa exprimi potest pro prudenti Ordinarii iudicio, si id expediat et absque incommodis liceat. Mentio tamen semper facienda erit de invitatione facta ad renunciandum, de exhibitis a parocho allegationibus ac de requisito et obtento examinatorum suffragio.

§ 2. Decretum indicendum est sacerdoti; sed promulgari non debet, nisi elapso tempore utili ad interponendum recursum.

1. Amotio non pronunciatur *modo sententiae,* sed, scripto Decreto, quod Parocho legitime, prout de iure, participandum est (3).

2. Quaedam tamen servanda sunt in decreto conficiendo, quae doctrinae circa sententiam iudicialem propria sunt, ideoque scitu necessaria (4).

3. Amotionis decreto praeparato, Parochus invitari potest coram Episcopo ad audiendam lectionem eiusdem, quae sine apparatu et testibus fieri potest, dummodo postea exemplar decreti ipsi Parocho tradatur, de his omnibus in actis descriptione facta. Invitatione et lectione omissa, potest Decretum intimari Parocho absenti, ut de more (5).

4. Si statuta in § 2. huius canonis violentur, amotio sustineri non potest, ob infractionem praecepti substantialis.

5. Promulgationis (seu publicationis) nomine quid intelligitur? Pu-

(1) Dicerem potius, suffragium ferendum esse, negativum tamen. Ratio est, quia aliter votatio sustineri non posset, cum *triplex* esse debeat suffragium Commissionis; eo magis quod, posita sententia contraria, maioritas (maggioranza) votorum (can. 6, § 1) haberi nequit.

(2) *Recole* pag. 291-292.

(3) Sc. eodem modo quo invitatio aut citatio fit. (Cf. retro pag. 26-27). *Recole* etiam pag. 306, n. 5. et 6.

(4) *Recole* ergo pag. 298-305.

(5) *Recole* quoad praxim pag. 296-300.

blice notum facere quod *occultum* est. Hinc, postquam decretum amotionis, sive transactis *fatalibus,* sive eiusdem confirmatione per decretum revisionis, *in rem iudicatam* transiit, Superior ius habet illud manifestum facere tum oretenus tum scriptis, tum per ephemerides aut per litteras circulares typis editas, etc.

6. **Formula** pro decreto amotionis:

N. Episcopus N.

Cum, Ven. Decreto **Maxima cura** *inhaerentes, contra adm. Rev. Dom. NN., Parochum loci N. huius Dioceseos, legitimam causam amotionis a suo Beneficio et paroecia in bonum animarum invenerimus, re in Dei conspectu mature perpensa, Commissione diciplinari, duobus adhibitis Examinatoribus Synodalibus, prout de iure, constituta, eorumque consensu rite et recte habito, Parochus praefatus ad renunciandum formaliter fuit invitatus. Qui cum renuisset et administrativum processum maluisset,* (1) *omnia iuxta praefatum Decretum rite ac legitime peracta fuerunt. Parochus deductiones suas infra tempus utile produxit seque defendit. Quibus rite perpensis et omnibus hinc inde considerandis consideratis, Examinatorum consensu secreto suffragio obtento, ad amotionis decretum ratione boni animarum Nobis deveniendum esse censuimus. Quapropter, Christi nomine invocato, et solum Deum prae oculis habentes, Nos per praesentes decernimus, declaramus et sententiamus,* **constare** *de veritate existentiae ac legitimitate* **causae** *amotionis Parochi NN. a Beneficio parochiali S . . . . loci N., huius Dioecesis, ipsimet denuntiatae, scilicet:* (2) . . . .
ideoque ipsum per praesentes a praefato Beneficio et Paroecia amovemus, et amotum declaramus.

Ita pronunciamus ac decernimus, servato Nobis iure, pro executione praesentis Nostri Decreti, procedendi in casu ad normam sacro-

(1) Sive, iuxta circumstantias: Qui quum, accepta invitatione, nec resignationem infra utile tempus praebuisset, nec deductiones suas proposuisset, nec dilationem a Nobis petiisset, in contumaciam eius ad ulteriora procedere debuimus, prout de iure (Cf. Can. 14, § 1). Quapropter, Examinatorum suffragio, secreto scrutinio, obtento, Christi nomine . . . .

(2) Exprimatur causa, solummodo *si absque incommodis* id fieri possit.

Si causa amotionis ad n. 8. vel 9. can. 1 pertineat, in Decreto mentio facienda est etiam *duplicis monitionis* inutiliter factae etc.

Si vero amotionis decretum fiat contra Parochum etiam *contumacem,* loco opportuno contumaciae expressa mentio fiat.

Addi potest invitatio Parochi ad comparendum coram Episcopo vel in Curia, infra paucos dies, ut de nova provisione agatur etc., si *recursus* praevideatur impossibilis.

rum canonum, iis adhibitis executivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportunà pro rerum adiunctis extitura sint.

Actum et datum . . . . . *in Aedibus Nostris Episcopalibus die* . . . . 1910.

(Sigillum) } *N. Episcopus*

{ *N. Examinator Synodalis*
{ *N. Examinator Synodalis*

Can. 21.

Si conclusio non sit pro amotione, certior ea de re faciendus est parochus. Ordinarius autem ne omittat addere monitiones, salutaria consilia et praecepta, quae pro casuum diversitate opportuna aut necessaria videantur: de quibus maxima ratio habenda erit, si denuo de illius sacerdotis amotione res futura sit.

1. Processu disciplinari expleto, sententia nimis differri non potest (1). Quaecumque demum ea sit, nempe si *conclusio*, ex conlatis suffragiis, pro amotione vel contra resultet, Parochus ius habet eam legitimo modo cognoscendi, sc. per communicationem a Superiore directe factam.

2. In casu conclusionis *negativae,* (2) quaedam Ordinario (3) praescripta sunt; eadem serio animadvertat Parochus, ne in posterum *bis in idem* incidat.

3. Si denuo de eiusdem Parochi amotione agendum fuerit, quum hic dicatur *maximam rationem* habendam esse monitionum, praeceptorum etc., an *monitiones istae* aequivalent *illis duabus* in num. 8 et 9 (can. I.) requisitis? -- Utique, dummodo bis fiant, non paterne etc., sc. omnibus servatis, quae ibidem indicantur, ut sint peremptoriae et praenuntiae amotionis etc.

Fac - simile defensionis Parochi (4).

In pago solitario, 2000 circiter habitantium, Parochus et Coadiutor curam animarum exercent. Parochus apud Episcopum a quodam cau-

(1) *Recole* pag. 291-292.

(2) An requiratur decretum *ad hoc?* Minime. Sufficit ut ex actis processus id constet, et Parocho communicetur. *Recole* pag. 157 - 158.

(3) *Recole* quoad haec pag. 371-398.

(4) *Recole* etiam pag. 254-255.

pona describitur tanquam a suo populo magna ex parte odio habitus, qui et testes ab Episcopo assumendos proponit.

Post aliquot menses Episcopus, causa per praefatos testes probata, sollicitudine motus pro salute animarum illarum, Parochum rite ac legitime invitat ad renunciationem. Hoc posito, specimen responsionis sequitur:

Ill.me ac R.me Domine

Visa invitatione ad renunciandum Beneficio ac officio quo fungor, ab Excellentia tua mihi facta sub data...., et mihi nudiustertius ab Apparitore consignata, ea, qua par est, reverentia Tibi significandum duco, causam *adductam, odium sc. plebis quamvis non universale, prout in Ven. Decreto* Maxima cura, *solido fundamento carere; quod Tibi legitimis modis demonstrare paratus sum. Valde mihi displicet, Excellentiam tuam dolore affectam esse hac de causa; ideo humiliter precor bonitatem tuam, ut mihi terminum saltem 10 dierum concedas, ad effectum, ut necessarias et opportunas probationes colligere et producere queam.*

Interim s. Annulum reverenter exosculans, maximo cum obsequio me Tibi profiteor

addictissimum filium in Domino

Data....... N. N. Parochum

Post 5 dies, Parochus recipit epistolam ab Episcopo, qua terminus 10 dierum pro defensione paranda ipsi conceduntur. Tunc Parochus Episcopum adit, petens ut nomina testium et documenta ad *causam* probandam allata cognoscat. Debitis reverentiae obsequiis Episcopo praestitis, Parochus domum redit, scripto iura sua deducturus, prout sequitur:

Ill.me ac R.me Domine

Praemissa debita reverentia, honori mihi duco Tibi humiliter praesentare, tempore utili, promissam defensionem meam.

Haec duo mihi probanda assumo:

I. Odium plebis contra me non existere.

II. Malam quorumdam contra me animi affectionem minime impedire utile meum ministerium.

PROBO PRIMUM

A -- **Testibus.** Precor citentur et excutiantur sequentes personae, quae sunt evidenter *testes omni exceptione maiores,* nempe:

1. Coadiutor meus Rev. NN.;

2. Vicarius meus Foraneus (Decanus) NN.;

3. Magister Communalis NN. meae Paroeciae.

Capitula, super quibus testes examinari poterunt:

a) quod munus Parochi, Deo adiuvante, adimpleo omni diligentia et zelo;

b) quod fides, pietas, religio et christiana moralitas in mea Paroecia ita florent, ut nullo modo animarum salus periclitetur;

c) quod filiali affectu, existimatione optima et indubia veneratione omnes prorsus parochiani mei me prosequuntur, duobus tantum vel tribus exceptis;

d) quod causae, ob quas isti sunt mihi infensi, non sunt mihi imputandae nisi ad meritum et ad honorem;

e) quod notorium est in mea paroecia, hos tres esse mihi infensos, simulque notas esse causas, ob quas etc.;

f) quod tantum abest, ut inde ministerium meum inutile sit, ut contrarium prorsus eveniat.

g) quod *odium plebis,* contra me assertum, est pura calumnia.

h) denique: exquirantur a singulis testibus a me productis minutae ac praecisae informationes de vita et moribus, qualitatibus, religione, fide ac publica existimatione illorum testium, qui contra me deposuerunt (1).

B - **Documentis**. Hic allegantur tria documenta sub numeris: 1. 2. 3., quorum primum exaratum fuit a Syndico et Adsessoribus Municipalibus; secundum a Fabricae Curatoribus; tertium vero a Patrono Ecclesiae (2), in paroecia continuo degente, qui Parocho minime familiaris est, quia avarus, ut omnibus notum est. Haec tria documenta ego minime sollicitavi. Sacerdos N. N., amicus meus, cui consilii causa rem aperui, ea sibi procuravit et postea mihi tradidit. Istis documentis quartum adderem, quod ego de industria confeci, et hic transcribo sub titulo:

Statistica Paroeciae.

Animae num. 2012;

Concubinatus unicus (quidam advena, atheus et anticlericalis);

Personae non suscipientes Commun. Paschalem, duo (caupona et praefatus advena);

Defuncti absque Ecclesiae Sacramentis, nec unus;

(1) Hic liceat mihi notare, quod testes *spontanei* sunt per se suspecti; et quod *accusator* non potest simul munere testis fungi, ex iure communi et naturali (in processu criminali).

(2) Documenta probant directe et mordicus thesim Parochi. Id subintelligitur.

Pueri a 7 ad 15 aet. annum Congregationi S. Aloisii de Gonzaga adscripti, omnes;

Iuvenes a 15 anno ad matrimonium Circulo Catholico adscripti, omnes, demptis tribus;

Puellae a I. Communione usque ad matrimonium Piae Congregationi Marianae adscriptae, omnes;

Ex viris: 200 sunt Confratres SS.mi Sacramenti; 300 sunt Tertiarii S. Francisci; 400 ad Sociot. Cath. Mutui Auxilii pertinent;

Ex mulieribus: 300 ad Confraternitatem SS.mi Sacramenti pertinent; 500 sunt Tertiariae; 300 sunt Matres Christianae;

Florentes sunt in mea Paroecia etiam seqq. Congregationes:

a) S. Philippi Nerii.

b) S. Josephi Sp. B. M. V.

c) Rosarii B. M. V.

d) SS. Cordis Jesu.

Municipium est totum catholicum;

Frequentatissima est praedicatio verbi Dei;

Communiones quotidianae superant num. 100; diebus festis ad 400 et etiam 500 pertingunt;

Fides et boni mores sunt *in floribus;*

Clerum maxima veneratione omnes prosequuntur.

Nota. Ut haec omnia et singula probentur *de visu*, per accessum ad meam paroeciam et omni alio meliori modo, instanter precor. Interim vero *nihil transeat.*

C -- **Exceptionibus.** Et quidem:

a) contra testes, quorum depositiones *suspectae* sunt, imo *falsae* et omnino reiiciendae. Nam: Primus testis, sc. caupona, vindictam quaesivit contra Parochum ob choreas et suum interesse, ut alibi explicetur. Est unus ex duobus parochianis meis, qui Pasch. Com. non suscipiunt, impius et infamis.

Secundus et tertius, fratres iudaei, falso se catholicos professi sunt in suo interrogatorio apud Episcopum; anno praeterito Parochum inducere non potuerunt in laqueum circa magnificum et pretiosum paramentum, cui inhiabant. Inde irae!

Quartus testis est publicus concubinarius, infamis et impius, in paroecia cum mulieribus lupus rapax....

Quintus denique est mulier hysterica et nymphomania laborans, quae in manicomio bis recepta fuit, tanto odio nunc Parochum prosequens, quanto olim sacrilego et insano amore, in quo *delusa* prorsus remansit!

b) contra documenta, quae nullo modo sunt *fidedigna.* Nam:

1.um falsum, idest supposititium. Hic allegatur opportuna declaratio Medici NN., qui negat se documentum illud scripsisse.

2.um factum allegat prorsus confictum, quod nunquam evenit. Testis est Paroecia tota.

3.um explicat exaggerando et applicat mihi factum, quod respicit meum antecessorem. In actis Archivi parochialis scriptam historiam ego reperi, quae id clare demonstrat.

D -- **Argumentis rationis**. Nam:

1. *Odium plebis*, stricte et in suo vero sensu, est *verum odium* (non aliqualis mala affectio vel indifferentia) *magnae partis* parochianorum (non minimae partis, quia *de minimis non curat Praetor*).

In casu meo specifico, quatuor vel quinque personae in Paroecia 2000 animarum non constituit evidenter *plebem,* nec ex minima parte.

2. Ex illis 5 ad summum personis, *duo* sunt hebraei, ergo non parochiani; *unus* est caupona, mihi infensissimus, quia praedicatione et suasionibus iuventutem meae paroeciae retrahere potui a choreis, quae apud ipsum singulis festis diebus habebantur, et nunc locum habere non possunt cum damno emergente cauponae sed cum lucro animarum; *quartus* est publicus peccator, concubinarius, sectae massonicae notorie adscriptus, advena in mea paroecia abhinc duobus annis tantum, qui nunquam Ecclesiam ingressus est; *quinta* denique est infelix mulier hysterica, ex nymphomania scandalosa, ab universo populo derisa etc. ([1]).

PROBO SECUNDUM

1. Omnes et singuli parochiani mei norunt vitam testium mihi infensorum; norunt causas, ob quas hostes sunt; omnes fugiunt aut derident eos, vel compassione prosequuntur, vel aegre sustinent. Ergo odium ipsorum non impedit etc.

2. Factum ipsum quotidianum eloquentissimum est, et ad ipsum tanquam ad argumentum princeps et decisivum provoco. Nempe: mea parochia in omnibus operibus bonis florentissima est. Ibi floret fides, pietas, mutua charitas, christiana moralitas. *Odium plebis* Parocho (an non per calumniam?) impactum producit quotidie, et quotidie auget hoc miraculum! Deo gratias.

([1]) Aliae *probationes* adiungi possunt, *ex aliis fontibus* haustae, prout circumstantiae indicabunt. Ex gr. ex *legibus*, ex *S. Canonibus*, ex *Synodo Dioecesana*, ex *consuetudine*, ex *peritis*, ex *privilegio*, ex *praxi iurisprudentiae*, ex *aliquo titulo* etc.

3. Praeterea hoc secundum implicite et indirecte confirmatur a probationibus praecedentibus etc.

4. . . . .

5. . . . .

etc.

Hanc brevem (1) *meam defensionem, ea qua decet submissione ac reverentia, Tibi, Excellentissime Domine, humiliter praesento, ut sapienti tuo iudicio eam cribres, ad severam trutinam revoces et mature, prout Deus Tibi inspirare voluerit, perpendas. Ego interim prudenter in omnibus agere Tibi promitto, exitum finalem sereno animo expectans, in tua iustitia et in paterno tuo affectu plurimum confidens.*

Quibus devotissimi filii ac fidelis tui sacerdotis sensibus s. Annulum exosculans, sincero corde me Tibi profiteor

Addictissimum in Domino

(Data) N. N. Parochum

VI. — **De actorum revisione.**

Can. 22.

§ 1. Contra decretum amotionis datur dumtaxat recursus ad eundem Ordinarium pro revisione actorum coram novo Consilio, quod Ordinario et duobus parochis consultoribus constat iuxta *§ 2. can. 3.*

§ 2. Recursus interponendus est intra decem dies ab indicto decreto: nec remedium datur contra lapsum fatalium, nisi parochus probet se vi maiori impeditum a recursu fuisse; de qua re videre debet Ordinarius cum examinatoribus, quorum consensus requiritur.

1. Tritum est in Iure, a sententiis iudicialibus dari appellationem, infra tempus utile, ad Iudicem *Superiorem*. In hac materia e contra *novum ius* inductum est; appellatio nempe nec ad Metropolitam, nec ad S. Sedem conceditur (2), sed tantum *recursus* pro simplici *revisione*

(1) Apud S. Rotam defensio 20 paginas praetergredi non debet, Cf. *Acta Apost. Sedis,* Vol. II, num. 20, § 57.

(2) Peremptorie exclusa talis appellatio intelligenda est.

processus apud eumdem Ordinarium, *qui sententiam tulit* (1). Et quidem *semel tantum;* nam secunda sententia (2) transit ex iure *in rem iudicatam.* Cf. can. 25. § 2.

2. Si quis post sententiam amotionis auderet recursum interponere apud Auctoritatem Civilem, sc. ad tribunales laicos - quod Deus avertat -- sciat *a)* incassum id facere, quia civilis iurisprudentia in Italia declaravit, iuxta Art. 17 famosae legis 13 maii 1871 (vulgo: *Legge delle guarentigie*), propriam incompetentiam in hac re; *b)* incidere ipso facto in censuram latam per Const. *Apostolicae Sedis* et *speciali modo* sub n. VI. ipsi Romano Pontifici *reservatam.*

3. Parochus qui *intra 10 dies* a receptione decreti amotionem statuentis (*fatalia, dies fatales*) omittit praesentationem *recursus* (3), inutiliter postea recineret, se *impeditum* fuisse quominus illum praesentaret. Ad documentationem impedimenti denuntiati teneretur, exitu iure meritoque incerto.

4. Argumenta, quibus recurrens legitimum (*vi maiori*) suum impedimentum *probare* nititur, a Commissione disciplinari (Episcopo et Examinatoribus, non Consultoribus) discutiuntur; si *concludentia* conlatis suffragiis inveniuntur, recursus admittitur; secus reiicitur. Tunc Parochus irremissibiliter causa decidit et Decretum fit *executoriale* (executivum).

5. Commissio disciplinaris (Episcopus cum duobus Examinatoribus Synod.) officium suum ultimo ac definitive absolvit, cum iudicat *de impedimento* in praesenti can. § 2. memorato. Hic est ultimus eius actus, quo eius officium expirat. -- Talis autem decisio inappellabilis est.

6. **Formula** pro Recursu: (4).

Ill.me ac R.me D.ne

Contra Decretum amotionis die.... mihi intimatum praesentem Recursum interpono, ea, qua par est, reverentia petens, ut coram novo Consilio *revisio actorum* fiat.

Infra 10 dies *argumenta* et *allegationes* novas proponam, tum pro *recursu* sustinendo tum pro *rationibus* comprobandis.

Interim maximo cum obsequio me profiteor etc.

Datum — Subscriptio.

(1) Utile erit hic in mentem revocare doctrinam de *appellatione. Recole* ergo pag. 308-321.

(2) Vel potius: *reiectio recursus*, quia decisio novi Consilii hoc praecise respicit.

(3) *Recole* pag. 342-343.

(4) *Recole* etiam pag. 323, n. 70 et pag. 324.

Can. 23.

Interposito recursu, dantur parocho adhuc decem dies ad novas allegationes producendas, iisdem servatis regulis quae superius in discussione coram examinatoribus statutae sunt, salva dispositione § 4, *can. seq.*

1. Post praesentationem recursus, - vel post decisionem favorabilem, si locus habeat, de legitimitate impedimenti praefati, de qua re Parochus certior fieri debet, -- adhuc 10 dies ipsi conceduntur, ad *novas allegationes* producendas. - Hoc ultimum et definitivum experimentum pro Parocho est. Cf. can. 24, § 4.

2. Hisce allegationibus (documentis, factis, rationibus - *exclusis* omnino *novis testibus*, ex eadem § 4.) Parochus nitetur melius probare: *a) causas* allatas et discussas pro amotione, non existere, aut sufficienti fundamento carere etc.; *b)* vel *vitia formae essentialia* in praecedentem disciplinarem processum *irrepsisse* etc.

3. Regulae servandae in hac re sunt, generatim, quae *in discussione* circa causam amotionis statuuntur in can. 15, 16, 17. (1)

4. Tempus utile *10 dierum*, post recursum, pro praesentatione novorum argumentorum et allegationum, peremptorium est, nam postea non admittuntur; revisio tamen adhuc locum habere potest, vi ipsius recursus.

Can. 24.

§ 1. Consultores, convenientes cum Ordinario, de duobus tantum videre debent, utrum in actibus praecedentibus vitia formae in ea irrepserint quae rei substantiam attingant, et utrum adducta amotionis ratio sit fundamento destituta.

§ 2. Ad hunc finem omnia superius acta et adducta examinare debent atque perpendere.

§ 3. Possunt etiam ex officio ad illa duo memorata discussionis capita in tuto ponenda exquirere et percontari de rebus,

(1) Oblivisci Parochus non debet, ipsi ius esse praesentandi *exceptionem* contra Consultores, si casus ferat. Petat ergo nomina - et cum novas suas allegationes exhibet *excipiat* . . . ; addat autem *rationes* exceptionis.

quas necessario cognoscendas putent, auditis etiam, si opus sit, novis testibus.

§ 4. Parochus tamen ius non habet exigendi ut novi testes inducantur et examinentur; nec ut sibi dilationes ulteriores ad deducenda sua iura concedantur.

1. Nunc officium incipit *novi Consilii*, sc. Consultorum una cum Episcopo. Requiritur ergo ut praecesserit nominatio Consultorum prout a lege statutorum eorumque iurisiurandi praestatio (1), de quibus ex actis constare debet.

2. Ex § 2. melius apparet, quanta peritia in iure, experientia vitae, aequanimitate et incorruptibilitate praediti esse debeant Parochi, qui ad officium Consultoris (gravius fortasse et difficilius officio Examinatoris) eliguntur.

3. *Duo* discussionis *capita* praescribuntur Consultoribus *in tuto ponenda*. Eadem a recurrente pro viribus *sunt impugnanda* (2). Difficile tamen ipse felici cum exitu pugnabit. Nam in conditione inferiore nunc iam versatur, quatenus Commissio Episcopalis potest *ex officio* exquirere *novas* probationes *novosque testes* (3) audire; ipsi vero haec iura magna ex parte deficiunt.

4. Vitia formae *substantialia* sunt illa omnia, quae alicui regulae in singulis praesentis legis canonibus statutae adversantur, vel quia *omissa*, vel quia *male applicata* fuerunt (4).

Ex. gr. vitium substantiale formae est:

a) Invitationem ad renunciandum ad Parochum mittere priusquam ab Examinatoribus consensus obtineatur.

b) Invitatio verbalis non servatis quae in can. 10. § 1. praescribuntur; quam invitationem Parochus iure finxit ignorare; ideoque decretum amotionis, ulterioribus omissis, prodiit, at sustineri non potest.

c) Invitatio scripto facta absque manifestatione alicuius *causae* amotionis; vel patefactis causis, at reticitis *argumentis* etc.

d) Omissio monitionis, in invitatione, ut intra 10 dies etc.

e) Denegatio *dilationis* (can. 12) absque *iusta causa,* vel non sufficienti, vel non sufficienter probata etc.

(1) *Recole* pag. 50.

(2) Praesertim demonstrando rationes amotionis non esse *in facto fundatas* et *in iure relevantes*.

(3) Praesertim *contra* ipsum et *in favorem* causae amotionis.

(4) Vel etiam illa vitia, quae a iure communi et naturali sunt prohibita.

f) Amotionis decretum editum non servatis quae in can. 14 § 2. aut in can. 20, § 1. praescribuntur.

g) Testes *non iuratos* assumere. (Ex iure communi).

h) Interrogationes *suggestivas* adhibere sive cum Parocho, sive cum testibus. (Ex iure communi).

i) Omissio *diligentiarum* in casibus can. 17. § 2. indicatis.

l) Iniusta procuratoris denegatio Parocho legitime impedito.

m) Parochi defensio quocumque modo impedita aut denegata, dummodo iniuste.

n) Emissio decreti amotionis *in dubio* quoad causam, vel absque suffragiis secretis.

o) Vel si unus Examinatorum non audeat in conscientia suffragium dare.

p) Omissio in decreto amotionis alicuius praescriptionis can. 20, § 1. indicatae.

q) Promulgatio decreti pendentibus fatalibus.

r) Iniusta reiectio *exceptionis* de vera *suspicione* circa aliquam personam (Examinatorem, testem, peritum etc.)

s) Examinatores iuramentum minime praestiterunt, antequam officium in processu sumerent.

t) Falsificatio alicuius documenti, cui amotio innititur.

u) Si causa est crimen, et *accusator* tanquam *testis* in processu assumptus fuit. (Ex iure communi).

v) incompatibilitas officii Examinatoris relate ad personam Parochi.

(y) Error vel defectus (1) in assumptione Examinatorum aut Consultorum.

(x) Iniusta reiectio rationum Parochi ad comprobandam legitimitatem impedimenti in can. 22, § 2. memorati.

(z) Iuramentum delatum imputato, in causa criminis, de veritate dicenda etc. etc. – Cf. *Acta Apost. Sedis,* vol. II, n. 20, § 109.

5. Ratio amotionis esset *fundamento destituta*, si probationes in processu disciplinari adductae non essent revera concludentes, aut dubiae, aut a falsis fontibus desumptae, aut contrariis probationibus infirmatae, aut documentis innixae plenam fidem non facientibus etc. Ex. gr.:

a) Ad causam probandam duo adsunt *peritorum* (2) *documenta*; Parochus produxit tria documenta aliorum peritorum, contrarium affirmantia etc.

(1) Non est vitium ita substantiale, ut nullitatem actorum inducat; tamen est factum illegitimum, cuius contestatio Parocho prodesse potest.

(2) Quoad *peritos, Recole* pag. 73-75.

b) Ad causam probandam *duorum testium* depositiones assumptae fuerunt. Contra easdem Parochus produxit 3. testes *classicos*, ut dicunt; vel argumentis probavit *suspectas* censendas esse praefatas depositiones etc.

c) Ad causam probandam *factum* quoddam satis demonstratum in actis extat. Parochus producit exceptionem proprii *alibi*, ut vocatur; vel probat legibus, rationibus, adminiculis, factum illud non esse *sibi imputandum* . . . . Et similia.

6. Consultores, in *examinandis* ac *perpendendis* actis et adductis, aequanimes esse debent et a partium studio alieni. *Veritatem* quaerere et *iustitiam* facere, strictissimum eorum ius ac munus est, nam *iudicis* (1) vestem induunt.

7. Magna discretione et in casu tantum necessitatis, *ad veritatem* adhuc dubiam in *certa luce* ponendam, novo Consilio utendum erit facultate ipsi per § 3 tributa. Liceat mihi rem exemplo explicare: *Causa amotionis* tribus testibus, quorum unus Parocho aliquatenus infensus resultat, in processu comprobatur. At ad instantiam Parochi tres testes assumpti fuerunt qui *omni exceptione maiores* cognoscuntur; eorumque depositiones maxime infirmant depositiones testium *ex officio* contra Parochum assumptorum, ita ut causa amotionis solido fundamento careat. Hoc non obstante, decretum amotionis prodiit. Posset tunc novum Consilium *alios testes* audire, hanc ob causam: ne Parochus victoriam a revisione reportaret? (2) - Quisque in sua conscientia opportunam responsionem inveniet.

Can. 25.

§ 1. Admissio vel reiectio recursus maiore suffragiorum numero est decernenda.

§ 2. Adversus huius consilii resolutionem non datur locus ulteriori expostulationi.

1. Suffragium, de quo hoc in loco, maximae gravitatis est, quia si Recursus reiiciatur, ulteriori non datur locus, sed *actum est*... Ideo cum certitudine, ex evidentia, suffragium ferendum; in dubio, Parocho favendum.

2. Processus *revisionis* sufficientem cautionem in favorem Parochorum prae se fert, quia duo ex Commissariis, in hac sede iudicantibus, diversi sunt ab illis, qui primam sententiam tulerunt.

(1) *Recole* quae Iudicem spectant p. 36-43, necnon pag. 173-175.

(2) Vulgo diceretur: Per farla tenere al Parroco.

3. Hoc *revisionis* decreto, amotio statim *in rem iudicatam* transit et fit immediate *executorialis*; nempe *a die huius decreti* Beneficium de iure et de facto fit *vacans*. Aliis verbis: Decretum revisionis vim habet immediatam, nec locus est *fatalibus*.

4. **Formula** confirmationis Decreti amotionis (1):

N. EPISCOPUS N.

In Causa disciplinari coram Nobis rite ac legitime acta contra N. Parochum etc., cum praefatus Parochus recursum tempore utili contra amotionis Decretum a Nobis editum interposuerit, coram novo Consilio prout de iure constituto, necessaria disceptatio et revisio iuxta praescripta in Decreto *Maxima cura* instituta fuit. Omnibus autem consideratis ac mature perpensis, enucleato dubio: An decretum amotionis in Parochum N., die .... latum, sit confirmandum in casu, suffragiis secreto collatis, affirmativa sententia capta est. Quapropter praesens *revisionis Decretum,* quod definitive praecedens amotionis decretum in omnibus perfecte confirmare decernimus et declaramus, Parocho N. praefato debitis modis intimari mandamus. In quorum omnium et singulorum fidem ac testimonium praemissorum etc (2).

Actum et datum . . . .

(Sigillum) { N. Episcopus

{ N. Parochus Consultor
{ N. Parochus Consultor

DE OFFICIO PAROCHI CONSULTORIS

Ad ipsum spectat:

1. Electio et nominatio iuxta can. 4. et 5., ad quinquennium.

2. Iusiurandum in manu Episcopi praestandum antequam officium assumat in quolibet processu revisionis.

3. Secretum officii servandum sub gravi, iuxta can. 7.

4. Examinare acta omnia et documenta processus disciplinaris, seu administrativi, ut videat:

a) an *causa amotionis* sit fundamento destituta;

(1) Si decretum amotionis *reformandum* resultet, *Recole* pag. 157-158.

(2) Adiici potest invitatio ad comparendum coram Episcopo, ut agi possit quamprimum de nova provisione.

b) an *vitia formae substantialia* in acta processus irrepserint (¹).

5. Iura a Parocho in sua defensione deducta (argumenta, allegata, documenta, rationes, probationes quascumque) serio et sine partium studio perpendere, sicque iustum ac certum iudicium sibi comparare pro amotione vel contra amotionem.... (²).

6. Novas Parochi allegationes, post recursum propositas, ad severam trutinam revocare, ut videat, an tantum valeant, ut, corroborantes priora argumenta, infirmare possint probationes contrarias et causam amotionis evertere, aut saltem in dubium ponere.

7. Videre, an Parochi *petitiones* (pro dilatione termini, vel pro auditione testium, vel pro constituendo sibi procuratore et similibus) fuerint absque sufficienti ratione reiectae.

8. Item videre, an Parochi *protestationes* si forte iustae, contra procedendi modum Commissionis disciplinaris, vel *exceptiones* a Parocho productae, pro nihilo habitae fuerint (³).

9. Discutere tum apud se (domi), tum apud Commissionem discipl. illa duo capita in n. 4 (hic supra) memorata, exquirendo etiam et percontando res omnes (⁴), quas necessario cognoscendas putet.

10. Proponere, ut novi etiam testes ex officio inducantur, si opus sit, ad veritatem in tuto ponendam.

11. Munus suum incorruptibiliter exequi; iudicium ferre morali certitudine adquisita, et iuxta conscientiam (⁵).

12. Suffragium ferre pro admissione recursus (reformatione Decreti amotionis), vel pro eiusdem reiectione (confirmatione Decreti amotionis).

13. Examinare in actis processualibus, si, quoties consensus Examinatorum exquisitus fuit, suffragium debito modo fuit latum et scripta scrutinii relatio ab omnibus fuit subsignata.

14. Item examinare, si in Decreto amotionis expressa fuerunt ea omnia, quae in can. 20 statuta sunt.

15. Alia agere, quae alibi pro *officio* Examinatoris enucleata sunt, et Consultori quoque conveniunt.

(¹) Cf. retro pag. 46-47.

(²) Cf. retro pag. 22, in nota.

(³) Etiam memorata hic in n. 7 et 8. *ad iustitiam* pertinent, et ideo *substantiam* processus vitiare possunt. *Recole* pag. 244, 9 - 245, nota.

(⁴) Ergo etiam supplementum actuum processualium.

(⁵) Evidens est necessitas bene cognoscendi et recte in praxi applicandi leges ecclesiasticas et normas iudiciales hodie vigentes in iure civili ac poenali. *Recole* ergo Opus meum, per totum.

Nota. An possit Parochus Consultor proprio marte et privata sua opera inquisitionem facere in paroecia etc.; deinde vero suffragium ferre iuxta resultantias sic adquisitas? - Negandum omnino; tale non est officium suum.

VII. — De amoti provisione

CAN. 26:

§ 1. Sacerdoti ex facta sibi invitatione renuncianti, aut administrativo modo a paroecia amoto, Ordinarius pro viribus consulat, aut per translationem ad aliam paroeciam, aut per assignationem alicuius ecclesiastici officii, aut per pensionem aliquam, prout casus ferat et adiuncta permittant.

§ 2. In provisionis assignatione Ordinarius examinatores, vel parochos consultores si usque ad eos causa pervenerit, audire ne omittat.

1. Valde differunt inter se remotio *iudicialis* et amotio *administrativa*, tum quoad causas, tum quoad variam proceduram; potissime vero *quoad consequentias*. Hoc innuitur in praesenti Canone, qui parocho per processum *disciplinarem* (1) a Beneficio amoto *ius reservat* provisionis plus minusve aequipollentis. E contrario, parochus remotus per processum *iudiciarium*, seu criminale, tale ius minime sibi vindicare potest, stricte loquendo; id enim exulat a dispositionibus Decreti *Maxima cura*, et sub imperio veteris legis canonicae adhuc permanet (2).

2. Ordinarius tenetur *consulere* Parocho, sive renuncianti, sive amoto, *pro viribus*, sc. iuxta possibilitatem. Parochus ideo non potest exigere quidquid vult, attenta praesertim exigua fortasse potentialitate amissi Beneficii, fama deperdita, indole inepta officio curato sive physice, sive moraliter, sive intellectualiter, etc.

3. Triplex genus *provisionis* assignat lex; subintelligendum tamen est, alios quoque provisionis modos non esse exclusos, nec reprobatos. An competat Parocho *ius praelectionis*? Negandum omnino, *per se*. Est

(1) Melius: *renunciatione, vel administrativo modo*; nam hae duo memorantur in canone et opponuntur *remotioni iudiciariae*.

(2) *Recole* tamen pag. 414-421.

Ordinarius qui eidem consulere debet, et quidem *prout casus ferat et adiuncta permittant* [1] !

4. Speciem aliquam contradictionis prae se ferre potest dispositio illa, qua translatio ad aliam paroeciam regendam statuitur. Parochus amotus in bonum fidelium, num poterit in bonum aliorum fidelium iterum parochum agere?... Affirmative, si amotio fiat pure et simpliciter propter *iniustum odium* aliquorum, absque Parochi culpa, dummodo aliunde idoneus sit ad curam animarum exercendam. Cf. can. 27, § 1.

5. Provisio statuenda est post *consilium* rite expetitum et acceptum (§ 2.); et quidem ab Examinatoribus, si Parochus renuntiaverit, aut a Decreto amotionis non appellaverit; a Consultoribus vero, si, post processum disciplinarem, recursum interposuerit et *processus revisio* locum habuerit.

6. Iustum ac generale criterium in provisione statuenda hoc proclamandum videtur: Cum Parochis innocentibus, aut mala valetudine affectis, *favores ampliandi*; cum illis, qui indigne parochiale ministerium tractarunt, *favores restringendi*. (Cf. etiam can. 27, § 3).

Can. 27.

§ 1. Paroeciam Ordinarius ne assignet, nisi dignus idoneusque ad eam regendam sit sacerdos; proponere autem eidem potest paroeciam paris, inferioris aut etiam superioris ordinis, prout aequitas et prudentia videantur exigere.

§ 2. Si agatur de pensione, hanc Ordinarius ne assignet nisi servatis de iure servandis.

§ 3. In pari conditione, renuncianti magis favendum in provisione est, quam amoto.

1. Aequitas et prudentia indicantur hic tanquam *duo criteria* directiva in perpendendo, quaenam Paroecia sit amoto ab Episcopo proponenda. - An *possit* Parochus propositam non acceptare? Procul dubio. - An tunc *debeat* Episcopus aliter eidem providere? Videtur distinguendum, generaliter; et affirmative vel negative concludendum, iuxta qualitatem rationum, quibus Parochus innititur.

2. Pensio est onus Beneficio impositum. Repugnat Iuris dispositioni,

(1) Scilicet, quantitas et qualitas provisionis discretioni Episcopi relinquitur. (Cf. etiam can. 27, § 1, ubi Ordinario competit *proponere*, etc.).

quae beneficia ecclesiastica absque diminutione vult conferenda. Hinc requiritur Rescriptum S. Sedis, iuri derogans, in quolibet casu specifico [1].

3. Dispositio § 3. iustissima est. Eam bene perpendant Parochi et sibi consulant! - *Quaestio*: quidam Parochus ad renunciandum invitatus, dubius haeret. Timorem ipsi infert *x incognita*, ut dici solet, novae provisionis! Possetne infra decem dies Episcopum convenire cum eoque de futura provisione agere; si bonam promittat, renunciationem eligere; aliter processum disciplinarem praeferre? -- Id licitum esse non dubitarem. (Cf. can. 28. § 2).

Can. 28.

§ 1. Negotium de provisione sacerdotis potest Ordinarius reservare post expletam causam amotionis, et generatim quam citius expediendum.

§ 2. Sed potest etiam in ipsa invitatione ad renuntiandum vel separatis litteris, pendente amotionis negotio, vel in ipso amotionis decreto provisionem hanc proponere et indicare, si expediens iudicaverit.

§ 3. In quolibet casu quaestio de provisione futura sacerdotis non debet commisceri cum quaestione praesenti de amotione a paroecia; neque illa hanc impedire aut remorari, si bonum animarum exigat ut expediatur.

1. Amotio praesens et provisio futura sunt duo negotia prorsus distincta et independentia; nunquam commiscenda, ita ut unum alium *impedire* aut *remorari* unquam possit. Caveat ergo Parochus a talibus attentatis.

2. Renunciatione peracta, vel decreto amotionis in rem iudicatam transacto, *quam citius* de nova provisione est agendum. Id ex iustitia.

Can. 29.

§ 1. Sacerdos qui renunciavit, aut a beneficio vel officio amotus fuit, debet quamprimum liberam relinquere paroecialem

(1) Requiritur etiam, generaliter, *placitatio* pensionis a R. Gubernio (in Italia); iustitia id exigere potest. At charitas, vel prudentia, vel speciale pactum, contrarium statuere possunt.

domum, et omnia quae ad paroeciam pertinent eius oeconomo regulariter tradere. Et si moras illegitime nectat, potest ecclesiasticis sanctionibus ad id cogi.

§ 2. Quod si agatur de infirmo, Ordinarius eidem permittat usum etiam *exclusivum*, ubi sit opus, paroecialium aedium, usque dum possit pro prudenti eiusdem Ordinarii iudicio commode alio transferri. Interim vero novus paroeciae rector aliquam aliam temporariam habitationem in paroecia sibi comparari curet.

1. Quid si Parochus, causa contra spem deperdita et decreto amotionis perculsus, crepantibus buccis recineret: se *civiliter* adhuc Parochum esse et Beneficium sibi retinere etc. etc?

Resp.: Si haec dictitat tantum, nihil aliud agens, est cymbalum tinniens, quod nullum impedimentum producit.

Si vero apud laicam auctoritatem recurrat, in sede administrativa (*Economato Generale*) aut iudiciaria (*Tribunale civile*) agendo, incidit in excom. retro can. 22., pag. 44, descriptam, nec ullum ius potest apud praefatam auctoritatem (saltem in Italia) sibi vindicare.

Si demum contra statuta in § 1. huius canonis peccet, rigorem codicis poenalis ecclesiastici experietur, et, promerita *suspensione a divinis* (1) perculsus, irreparabilem fortasse ruinam, spiritualem ac temporalem, sibi procurabit.

Nota. Si casus ferat - quod tamen difficile evenire poterit - ut Parochus deductionibus et allegationibus suis impedire possit decretum amotionis, vel eiusdem confirmationem, humiliter se contineat, prudenter agat (2) et in mentem revocet monitum S. Pauli: « *caute negotiari* » . . ., ne occasionem praebeat Superiori, denuo et quidem gravius contra ipsum procedendi.

VIII. — De iis qui huic legi subiacent.

Can. 30.

Superius constitutis regulis, -- adamussim applicandis iis omnibus, qui paroeciam, quovis titulo, ut proprii eius rectores obtinent, sive nuncupentur Vicarii perpetui, sive *desservants*, sive alio quolibet nomine, - locus non est, quoties paroecia committatur

(1) *Recole* quoad Suspensionem pag. 423-442; nec non pag. 389.

(2) *Recole* pag. 370-377.

curae alicuius sacerdotis qua oeconomi temporalis vel Vicarii ad tempus, sive ob infirmitatem parochi, sive ob vacationem beneficii, aut ob aliam similem causam.

1. Ratio, ob quam qui *veri Parochi*, nisi nomine saltem re, non sunt, excipiuntur a regulis praesentis Decreti, satis patet. Cum istis nempe alia via, et quidem magis expedita, procedere possunt Ordinarii, vigore iuris communis (1).

Can. 31.

§ 1. Si parochus in ius rapiatur ut reus criminis, pendente criminali iudicio sive coram ecclesiastica sive coram civili potestate, locus non datur administrativae illius amotioni; sed exspectandus est exitus iudicii.

§ 2. Interim tamen si agatur de crimine quod infamiam facti inducat, Ordinarius parochum prohibere potest, quominus curam animarum exerceat ac temporalem administrationem beneficii gerat: ea vero munia cum congrua fructuum assignatione Vicario aliive a se eligendo committat.

§. 3. Iudicio autem criminali finito, locus erit restitutioni parochi, vel eius administrativae amotioni, vel canonicae destitutioni, prout iustitia exigat et adiuncta ferant.

1. Hic canon evidenter desumptus est a celebri *Instructione* a S. C. EE. et RR. die 11 iunii 1880 edita et hodie adhuc vigente. Cf. ibid. n. XLIII. § 1. et § 2. - Observandum tamen est, quod praesens canon loquitur de criminali iudicio non tantum coram civili potestate, sed etiam *coram ecclesiastica.*

2. Quoad crimina, quae *infamiam iuris* aut *facti* inducunt, cf. *Monitore Eccl.* Vol. X, P. II. p. 10.

3. Prohibitio, quominus Parochus curam animarum exerceat, fieri potest per *praeceptum* (2), vel etiam per *suspensionem*, cum deputatione Vicarii Parochialis (3).

4. Parochus in iudicio criminali damnatus, destituitur; absolutus,

(1) Sunt *amovibiles ad nutum;* hinc nullus requiritur processus.
(2) *Recole* pag. 390-398.
(3) *Recole* pag. 437-438.

restituitur. Hoc generaliter loquendo, quia sic exigit iustitia. At *adiuncta,* in quolibet casu specifico sedulo perpendenda, possunt in utroque casu *amotionem administrativam* insinuare. Videant ergo illi, ad quos spectat.

5. Maxima prudentia et caute omnino est Ordinario procedendum tum ante processum amotionis, tum eo perdurante, ne *bona fama* Sacerdotis - et quidem Parochi - laedatur. Bona fama est aureola sacerdotalis quocumque thesauro pretiosior (1), quam quisque strictissimo iure sibi conservare tenetur, et a nemine - eo minus a Superiore - pessundari debet (2). In casu, patet aditus Parocho recurrendi ad S. Sedem.

Can. 32.

Ordinarii nomine pro omnibus, quae in hoc titulo statuuntur, non venit Vicarius Generalis, nisi speciali mandato ad hoc sit munitus.

1. Cf. animadversionem retro pag. positam.

2. Si *speciali* super hac re Mandato Vicarius Generalis ab Episcopo instruatur, tunc *pleno iure* omnia in praesenti Decreto statuta peragere, ut Episcopus ipse, potest.

Iis autem cito exsequendis quae in hoc decreto statuuntur, SS.mus Dominus Noster mandat ut omnes et singuli Ordinarii quamprimum parochos aliquot consultores, iuxta praescripta *Can. 4*, constituant. Quod vero ad examinatores attinet, si hi in dioecesi, sive in synodo sive extra synodum electi, habeantur, statuit ut, de cathedralis capituli vel consultorum dioecesanorum consilio, aut eos in officio confirmare (hac tamen lege ut post quinquennium a munere cessent), aut ad novam examinatorum electionem, servata regula *Can. 4*, devenire possint, prout prudentia et adiuncta suaserint. Deficientibus vero in dioecesi exa-

(1) «Melius est nomen bonum, quam divitiae multae». Prov. 22, 1.
(2) *Recole* pag. 381-382.

minatoribus, ad eorum electionem, servatis superius statutis, sine mora deveniant.

Praesentibus valituris, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, die 20 Augusti 1910.

C. Card. De Lai, *Secretarius*.

L. ✠ S.

Scipio Tecchi, *Adsessor*.

Hoc *Decretum* S. C. Consistorialis transiit fere inobservatum, generaliter loquendo, in medio Cleri, eique non multum ponderis tributum fuit in aestimatione hominum. At revera gravissimum est, utpote quod radicalem innovationem in hunc campum induxit, et maximam auctoritatem Episcopis in hac capitali materia tribuit. Quod quidem non sine speciali providentia factum est nostris hisce temporibus, in quibus perquam maledicta ac detestanda *Modernistarum* lues Ecclesiae vineam diro modo destruere conatur, cuius fulcrum et essentia est rebellatio atque contumacia contra divinas et humanas Auctoritates.

POSITIO [1]

PRO AMOTIONE ADMINISTRATIVA

PAROCHI NN. LOCI N.

Anno 1910

In Christi nomine, Amen.

Causae pro Amotione:
1.ª . . . .
2.ª . . . .
3.ª . . . .
etc.

Comprobatur:
1.ª Documentis *a), b)*, etc.
Testibus 1.°, 2.°, 3.°, etc.
Argumentis sequentibus: 1.° . . . . . 2.° . . . . . etc.
2.ª Documentis *d), e), f)*, etc.
Testibus 4.°, 5.°, etc.
Rationibus ut sequitur: 1° . . . . . 2° . . . . . etc.
3.ª etc. etc.

Die 15 novembris 1910

Electi fuerunt duo Examinatores de iure primi, ut patet ex data electionis (vel ordinationis, vel aetatis), qui sunt: NN. et NN., et nominatio eisdem participata fuit in forma prout sequitur; quae ab utroque acceptata fuit. (*Hic transcribitur documentum nominationis*) [2].

Die 18 novembris

Vocati fuerunt praefati Examinatores et ipsis iuramentum delatum prout de iure, quod reapse praestiterunt in forma prout de more. Dein

(1) Inservit usui Ordinariorum.

(2) Si unus ex Examinatoribus acceptare munus nequeat ob impedimentum aut alia de causa, tertius sufficiendus est; acta congrua hic describantur.
Formula nominationis: Cf. retro, pag. 19.

patefactae ipsis fuerunt *causae* et *argumenta* pro amotione Parochi NN. (1) Quibus rite perpensis, per suffragia secreta eorum consensum exquisitum fuit et revera obtentum. Nam scrutinii resultatio haec fuit: pro amotione vota 3; contra 0. In quorum fidem etc. - N. Episcopus - N. Examinator Synod. - N. Exam. Synod.

Die 20 novembris

Rite facta est votatio pro invitatione Parochi ad renunciandum, quae affirmativa resultavit, sc. pro 3; contra 0. (Sequuntur tres subscriptiones, ut supra).

Hinc Parochus hodie per Cursorem Curiae Episcop. (vel: per litteras missivas, vel: viva voce) formaliter invitatur ad renunciandum infra 10 dies, prout de iure. Exemplar invitationis hoc est: (hic transcribitur) (2). Cf. retro pag. 25.

Die 28 novembris

Parochus comparuit personaliter; causae et argumenta ipsi debitis cautelis patefactae sunt. Quibus auditis, ipse dilationem ad alios 10 dies humiliter petiit, ut interim quid agendum serio decernat. Re perpensa, cum nihil obstare videatur, collatis suffragiis, resultaverunt vota 2 pro concessione, unum contra. Tunc dilatio praefata ipsi concessa fuit. In quorum fidem sequuntur subscriptiones: (ut supra).

Die 7 decembris

Parochus comparuit personaliter et renunciationem suo Beneficio emisit, prout sequitur. (Hic scribatur formula resignationis, cum subsignatione Parochi, testium etc.)

Vel: Hac die ad nos pervenit scripta Parochi renunciatio, quae hic allegatur. (Asservetur hic in actis). Hac eadem die a Nobis acceptatur, et de acceptatione per litteras missivas Parochus certior fit. (Subsignatio).

Vel, hisce omissis:

(1) Possunt Examinatores domi suae haec perpendere, et dein cum Episcopo discussionem habere super iisdem, casu quo. Tali occasione potest Episcopus cognoscere si unus aut alter ex Examinatoribus *excludendus* sit, ob causas a Iure admissas...

(2) Si per Cursorem invitatio fiat, ponatur hic formula apposita. *Recole* pag. 120, 8; itemque pag. 121, 12.

Si vero per litteras, asservetur hic documentum receptionis. *Recole* pag. 121, 8.

Demum, si viva voce, hic scribatur processus verbalis analogus. Vide retro pag. 25 can. 10.

Die 10 decembris

Infra tempus adhuc utile (quod cras expiraret) Parochus deductiones suas praesentavit, quas hic allegamus sub litt. *b)* aut *c)* aut *d)* etc. ([1]).

Die 12 decembris

Examinatores una cum Episcopo convenientes discussionem inchoarunt super deductiones et allegationes Parochi. Omnium hic summaria relatio transcribitur ([2]): . . . .
. . . .
. . . .

(Hic agendum et procedendum ita, ut ex actis appareat, omnia in processu adamussim servata fuisse, quae in can. 15 exposita inveniuntur).

(Si testes examinandi sunt, itemque si Parochus ad Constitutum ([3]) invitatur et assumitur, ipsorum processus verbalis in actis prostare debet, speciali sub allegato etc.).

Die . . . .

Invitantur ad examen testes NN. et NN., *ex officio* assumendi (vel: *ad instantiam* Parochi, de consensu Examinatorum, excutiendi) pro die . . . . . . ([4]).

Die . . . .

Coram Nobis comparuit NN. testis *ex officio* assumptus (vel: *ad instantiam* Parochi etc.), qui monitus etc. deposuit ut in suo Constituto hic allegato sub litt. *g)*.

Successive comparuit NN. testis etc . . . . (ut supra).

Die . . . .

Comparuit coram etc. Parochus NN., de consensu Examinatorum rite invitato, qui monitus etc ([5]), ut in allegato *h*).

([1]) Mutatio facienda est, et aliter procedendum, si ea, quae in can. 14. describuntur, verificentur.

([2]) In apposito *speciali allegato*, quod litt. *e)*, aut alia, signabitur, describenda sunt omnia in discussione acta, dicta et facta.

([3]) In Parochi interrogatione plurimum ad veritatem detegendam valere possunt *contestationes* ipsi factae super punctis obscuris aut contradictionem prae se ferentibus. *Recole* pag. 146.

([4]) Serventur regulae communes pro citatione. *Recole* pag. 99-102.

([5]) Si agatur *de crimine*, non defertur Parocho (imputato) iuramentum *de veritate dicenda* quoad criminis confessionem.

Die . . . .

Ad probandam causae veritatem ac legitimitatem (1), accessus hodie locum habuit ad paroeciam N. etc. - Vel: Deposita fuerunt apud Nos Regesta parochialia . . . . (aut similia), iam antea ex officio requisita etc.

Die . . . .

Dubium exortum fuit circa . . . ., quod diluendum esse apparet. Ideo, consilium Examinatorum expetitum fuit, ut inducantur duo novi testes, nempe NN. et NN.; (vel, ut denuo citetur testis NN. iam examinatus, pro contestatione cuiusdam circumstantiae etc; vel, ut Parochus iterum interrogetur etc.). Discussionis et consilii petitionis resultatio haec fuit: (Describatur; postea ab Ep. et Examinatbs subsignetur.)

Nota. Etiam *in revisione* processus accidere potest, ut haec sint agenda. Cf. can. 23. - In tali casu, opportuno loco, similis adnotatio in actis *Positionis* fiat.

Die eadem

Citationes praefatae expediuntur solita forma etc.

Die . . . .

Comparuit coram Nobis NN. testis citatus (vel Parochus iam citatus ex officio etc) . . . . In Allegato *l)* descriptum invenitur quidquid actum fuit.

Die . . . .

Nuntiatum fuit Nobis a fide dignis personis, Parochum NN. ad amotionem impediendam illicite agere ut in can. 17 Decreti *Maxima cura.* De qua re inquisitionem debitis modis faciendam curabimus etc.

Die . . . .

Inquisitione sufficienter peracta in actis deponuntur resultantiae ut in Allegato *m).*

Die . . . .

Visa Parochi petitione et probato legitimo ipsius impedimento, Procuratorem ipsi concedimus in persona Sacerdotis NN., qui Nobis acceptus est; et hac ipsa die per tramitem *postalem* (2) concessio praefata Parocho transmittitur, ut eam Sacerdoti procuratori suo communicet. Concessionis praefatae *minuta* haec est: (transcribatur).

Die 20 aprilis 1911

Cum Parochus declaraverit, nihil aliud pro sua defensione allegandum vel deducendum se habere, Examinatores Nobiscum convenientes

(1) Vel etiam: Ad inspiciendam de visu veritatem circa asserta in allegationibus Parochi etc., congrua congruis referendo. - Quoad *accessum, Recole* pag. 66-68.

(2) Melius: per officium tabellionum.

acta omnia et allegata inspexerunt, probationes et argumenta tum pro, tum contra, perpenderunt; et, discussione opportune sequuta tum super praefatis, tum circa amotionis decretum ferendum vel non ferendum; ad rem definiendam secreto suffragia conlata fuerunt. Exitus fuit ut sequitur: Pro amotione vota 3; contra 0. In quorum fidem subsignationes Commissionis sequuntur.

N. Episcopus
N. Examinator
N. Examinator (1)

Die 25 aprilis 1911

Decretum amotionis conficitur et per Cursorem Nostrum Parocho intimatur (2). Exemplar decreti hoc est: (sequitur transcriptio).

Die . . . .

Fatalibus nudiustertius expiratis, nullo *recursu* Parochi (vel eius procuratoris) interposito, Decretum in rem iudicatam transiit; ideo eiusdem promulgationi fiet locus. - Vel:

Die 30 aprilis 1911

Hodie Parochus N. recursum pro revisione actorum apud Nos rite ac legitime interposuit.

Die 7 maii 1911

Parochus N. novas allegationes ad Nos produxit, in Allegato sub litt. *p)* signato.

Die 8 maii

Pro revisione actorum electi ac nominati hodie fuerunt duo Consultores, prout de iure, sc. N. Parochus de . . . . ., et N. Parochus loci . . . . Exemplar nominationis est hoc: (transcribatur).

Die 9 maii

Patentes Litterae nominationis (3) praefatis duobus Parochis Consultoribus transmittuntur, una cum invitatione ad iusiurandum emittendum et ad discussionem coram Nobis die 12 prox. ventura habendam.

Die 12 maii

Statuta hora duo praefati Parochi Consultores coram Nobis convenerunt et delatum iuramentum in formis emiserunt. Deinde acta omnia

(1) Subscriptio Examinatoris *prioris* praecedat subscriptionem *posterioris*.
(2) In actis extare debet *probatio*, ut de more, factae intimationis.
(3) Loco Patentium Litterarum sufficere existimo participatio (factae nominationis) per litteras missivas.

processualia inspexerunt et mature perpendere potuerunt (1), una cum novis allegatis post recursum pro revisione tempore utili productis (2). Postremo omnibus rite et recte inspectis ac debito modo, prout de iure, consideratis, discussione pro et contra super singulis absoluta (3), unanimi consensu novum Consilium ad decisionem circa amotionis decretum deveniendum esse censuit. Quapropter, conlatis secreto suffragiis, pro *confirmatione* Decreti et *reiectione* recursus, haec fuit scrutinii resultatio: Pro 3 vota; contra 0.

In quorum fidem subscriptiones sequuntur:

N. Episcopus
N. Parochus Consultor
N. Parochus Consultor (4)

Die 15 maii 1911

Conficitur Decretum et Parocho intimatur (5). *(Subscriptio).*

NOTA-BENE

Hic finis *Positioni* imponi potest. Restat enim ut Episcopus consulat Parocho iam amoto de nova provisione: pro qua satis est, ut postremo loco *consilium* Consultorum (vel Examinatorum, prout casus ferat) ex scrutinio resultans scribatur, adiectis subscriptionibus.

Quoad reliqua, Ordinariatus procedet providendo prout de iure (6).

(1) Exclusio alterutrius Consultoris si sit necessaria, Episcopus nunc cognoscere potest.

(2) Addi potest: Fidelis descriptio discussionis tunc habitae invenitur in adiecto Allegato sub numero . . . .

(3) Difficile evenire poterit, ut in hac prima et unica sessione revisio et discussio perfecta evadat, atque decisio definitiva capiatur. Consultius erit, si acta processualia, allegationes, documenta etc. Consultores apud se retineant per aliquot dies, diligenti studio perpendant, sicque iustum iudicium de omnibus sibi efficiant; postea dies pro discussione et decisione coram Ep. statuatur etc.

(4) Cf. notam pag. 62.

(5) **Formula** prostat retro pag. 49.

(6) Fere inutile videtur admonere, descriptionem actorum, prout hic exposita fuit, simplificari posse, necnon innumeras variationes admittere, iuxta circumstantias.

INDICULUM

Imprimatur:

Patavii, die 21 Novembris 1910

Can.us Robertus Coin *Vic. Gen.*